

*Czapliński de vita Dantiscii*



Edz. archiwalny IBL





DE VITA ET CARMINIBUS  
JOANNIS DE CURIIIS DANTISCI.



**DISSERTATIO**

QUAM SCRIPSIT

ET

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS AUCTORITATE

IN

ACADEMIA VIADRINA VRATISLAVIENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE XII M. NOVEMBRIS MDCCCLV.

H. L. Q. C.

CONTRA ADVERSARIOS

C. PLEBAŃSKI, DR. PHIL.

M. ULKOWSKI, SEM. PHIL. REG. SOD.

W. DE KOLANOWSKI, SEM. PHIL. REG. SOD.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

**LEO CZAPLICKI,**

POSNANIENSIS

INSTITUT

BADAŃ LITERACKICH PAN  
BIBLIOTEKA

PO 330 Warszawa, ul. Nowy Świat 77

Tel. 26-68-63

VRATISLAVIAE,

<http://rcin.org.pl>  
TYPIS HENRICI LINDNER.





6959

**VIRO**

**PRAESTANTISSIMO GRAVISSIMO**

**GUSTAVO A POTWOROWSKI**



# HUNG LIBELLUM

GRATI ANIMI DOCUMENTUM

ESSE VOLUIT

AUCTOR.



## Proœmium.

In præstantissimis XVI seculi viris, qui factis, doctrina et carminibus in Polonia inclaruerunt quique cum summis aliarum gentium viris jure conferri possunt, Joannes de Curii Dantiscus sine dubio ponendus est. Cujus quidem judicii multos eosque gravissimos habemus auctores, qui aut ejusdem ætatis sunt, aut seculo XVII et XVIII floruerunt; quin etiam nostra ætate aliquot exstiterunt, ut afferam Andream Hoffmannum virum doctissimum, qui in programma Gymn. ad Mariam Magd. Posn. a. 1841 p. 4 inter alios seculi XVI claros Poloniae poetas, Dantiscum dignum judicat, cujus memoria posteritati tradatur. De vita quidem Joan. Dantisci multae jam exstant commentationes; sed viri, qui in scribenda vita ejus aliquam operam collocarunt, non nisi pauca momenta eorum, quae publice gessit, posteritati tradiderunt; quibus perlectis animadverti eosdem viros multa, quae ad vitam Dantisci privatam, maxime vero ad mores ejus pertineant, aut obiter tetigisse aut neglexisse. Ad quam rem probandam, viros, qui operam in conscribenda vita Dantisci posuerunt et quomodo eam tractaverint paucis commemorabo, ut appareat, me haudquaquam acta acturum.

Scripsit quidem vitam Joa. Dantisci Thomas Treterus custos canonici Varmiensis in opere: De Episcopatu et Episcopis Varmiensibus inscripto et Cracoviae a. 1685 in publicum emisso pag. 108, sed, qui ejus mos est, tam frigide et jejune, ut cum nec dies nec annos commemoraverit, vix dignus sit,

quem respiciamus. Idem fecit Hartknoch in opere: Prussiae ecclesiae Historia. Francoforti 1686 pag. 1043. Huc referendus est etiam Andreas Charitius, qui in sua Commentatione Historico-litteraria de viris eruditis Gedani ortis, Vitebergae 1715, pag. 37. mentionem Joan. Dantisci fecit, sed cum nullo acumine critici fungatur, ea quoque, quae protulit, falsa sunt.

Hennebergerus in opere: Preuss. Chronik pag. 155 paucis versibus rem absolvit.

Paullo diligentius et accuratius descripsit vitam ejus Seilerus Elbingensis Gymnasii professor, in opere: Prussia docta (Erleutertes Preussen) Tom. I. No. XIII. p. 239 sq. et in additamentis pag. 861. Cum autem facta, quae in hac vita proferuntur, nullo vinculo juncta sint, causaeque eorum neglectae, nemo est, qui tam brevi et frigida narratione acquiescere possit.

Alius vir, qui vitam Dantisci multo uberius et perfectius tractavit, Joannes Gottl. Boehmius poeta ipse atque historicus, hic ponendus est, qui in editione Poematum et Hymnorum Joannis Dantisci, Lipsiae et Vratislaviae a. 1764, adhibitis satis diligenter quibusdam fontibus, vitam ejus praemisit.

Praeter hos viros Janocius in Comm. de libris pol. prioribus in bibliotheca Zalusciana, Dresdae a. 1743, Tom. I. pag. 23 et 24 et Tom. III. pag. 64 sq. cum carminum tum vitae Dantisci brevem fecit mentionem. Attigit quoque paucis vitam Dantisci Carolus Tromlerus in op.: De Polonis latine doctis diatribe, pag. 15 et 16, quae commentatio exstat in Janocianorum volumine primo. Quae nostrates memoriae tradiderunt, aut ex auctoribus jam laudatis deprompta sunt aut negligenter tractata. In his ponimus: Historiam Litt. Poloniae, qua Wiszniewski Tom. IV p. 237 sq. vitam Dantisci tractavit.

Deinde commemorandus est Ossoliński, qui in opere: Commen. historico-crit. de scriptoribus Poloniae Tom. IV. pag. 58 sq. \*) quaedam de vita ejus et scriptis in medium protulit.

\*) Wiadomości historyczno-krytyczne o pisarzach polskich. Lwów 1852.



Denique commemorandus nobis videtur Kondratowicz: Histor. Litt. polon. Tom. I p. 218.

Quorum omnium virorum<sup>o</sup>) Boehmius etsi multa accurate commemoravit, plures tamen res easque nostro iudicio gravissimas aut neglexit aut sponte retinuit; omissis igitur omnibus, quae auctoritatem Dantisci diminuere possint, „ea se lubentius perscripturum, quorum memoria et Dantisco honorifica et Gedanensibus (scribit enim ad senatum Gedanensem) ipsis sit jucunda,“ fatetur<sup>o</sup>). Hinc igitur patet, Boehmium laudationem potius Dantisci quam vitam scribere voluisse. Praeterea jure Boehmio id exprobrandum est, quod argumenta ad narrationem suam probandam neque in carminibus ipsius poetae neque in epistolis ad eum datis satis diligenter quaesivit. Non omnia quidem Boehmius, quae alii de singulis factis Dantisci scripserunt, cognita habuit, sed si vel iis, quae ei ad manus fuerunt, diligenter usus esset, imaginem Dantisci pleniorum et accuratiorum reddidisset. Quae cum ita sint, equidem vitam Dantisci narrare constitui, in qua exponenda ita versabor, ut ad facta, ad amicitias et familiaritates, quas cum praestantissimis illius aetatis iniit viris, confirmandas, denique ad mores ejus adumbrandos, cum ex carminibus ejus tum ex epistolis ad eum datis quam accuratissime documenta sim deprompturus.

---

<sup>o</sup>) Alios, qui obiter mentionem Dantisci fecerunt, suo loco commemorabo.

<sup>o</sup>) In prooemio pag. 12.

## Pars I.

Natus est autem Joannes Dantiscus Gedani sive Dantisci anno post Christum natum millesimo quadringentesimo octogesimo quinto, loco etsi non admodum opulento tamen honesto. Philippus Frenkingius (in Or. de vita et moribus Jo. Dantisci<sup>1</sup>) tradidit memoriae, genus paternum Joannis Dantisci ortum esse e familia non ignobili Hoefen; diuturnis autem belli calamitatibus, avum Joannis e pago paterno expulsus, Gedanum se contulisse habitatum: ubi in tantis rerum angustias esse adductum ut restibus faciendis victum sibi suisque quaerere cogeretur. „Quumque non esset (inquit Frenkingius l. l.) „quod esset, forte cum comite suo impubi ad illam accessit aream, ubi „restarii suum exercent opificium: conspicatus ibi linum in fasces colligari, se quoque ejusdem artis gnarum profitetur.“ Hinc igitur facile colligi potest, nomen (restarii) Flachs binder vernacula lingua ab opificio hoc avo Dantisci inditum esse. Quo facto facile nomen gentilicium Hoefen abolevit et alterum a familia Joannis Dantisci servatum est. Errasse igitur eos, qui contenderint, nomen „a Curiis“ propterea retulisse Dantiscum, quod tantum temporis spatium in curiis principum versatus esset<sup>2</sup>), argumentis docebo. Ac primum quidem testimonium Frenkingii, qui propinqua cognatione cum Dantisco conjunctus erat, plurimi faciendum est; deinde non minoris momenti est documentum, quod exstat in codice Petricoviensi<sup>3</sup>), quo Sigismundus Rex diploma nobilitatis atque titulum „de Curiis“, quem Dantiscus a. 1515 in Conventu Vindobonensi ab imperatore Maximiliano accepit<sup>4</sup>), in Comitibus Petricoviae a. 1517 celebratis sancivit. Verisimillimum igitur est, Dantiscum, non oblitum, avum suum usum esse nomine „Hoefen“, cum in



ordinem nobilium germanorum reciperetur, idem post longum temporis spatium revocasse et in voces „a Curiis“ mutasse. Ad hoc accedit, quod Dantiscus eo tempore, quo ei hoc nomen a Maximiliano inditum est, nondum in curiis versabatur; primum enim cum Sigismundo I. Vindobonam profectus est nulla antea legatione functus. Errat quoque Boehmius contendens<sup>5)</sup> Dantiscum jam ad altiore locum evehctum, vocabulo Flachsbinder appellare sese publicis ingenii monumentis haud dubitasse. Vocabulo enim Flachsbinder nusquam usus est, sed in graecas voces Linodesmon mutatum bis posuit<sup>6)</sup>. Posteriore vero tempore ne hoc quidem nomen usquam cum in carminibus tum in epistolis ejus occurrit; sed ubique aut simpliciter Joannem Dantiscum sese appellat, quod nomen more illius aevi ab urbe patria assumisit, aut Joannem de (a) Curiis Dantiscum. Haec hactenus.

Pater Joannis, Simeon<sup>7)</sup>, cum animadvertisset puerum invitum versari in opificio (pater ejus teste Boehmio proem. p. 8. potum ex hordeo coquebat) quo ipse occuparetur, in ludum ad discendas litteras mittere eum statuit. Atque verisimile est, primis litterarum elementis in aliqua schola Gedanensi imbutum esse Dantiscum. Paulo post, cum parentes ejus haud ignorarent, florere Cracoviae scholas celeberrimas, ad litteras et bonas artes percipiendas Joannem duodecim aut tredecim annos natum eo miserunt. Cracoviae igitur, cum satis haberet ex quo vitam sustentaret, ut ipse canit<sup>8)</sup>:

A puero nam sorte mea contentus habebam

Tunc et in exili conditione satis,

tantos brevi in bonarum litterarum studio fecit progressus, ut carmina scribere inciperet. Sedecim et septendecim annos natus, bello inter Polonos et Tartaros exorto, studiis valedicere coactus est; ex iis enim quae ipse dicit<sup>9)</sup>:

Junior et belli contra Dacosque Getasque

Atque Borysthenidas, tempore miles eram,

concludi potest, Dantiscum a. 1502 contra Tartaros aut a. 1503 contra Valachos stipendia fecisse<sup>10)</sup>. Quo bello finito eo majore studio litteris in Romano Gymnasio<sup>11)</sup> et Cracoviensi universitate incubuit et ingenium suum magis magisque excolebat. Cum autem a natura ad poesim factus esse videretur, praeter alias doctrinas maxime colebat poeticam et legendis latinis poetis tantum profecit, ut nemini aequalium latine scribendo esset secundus. Hic ut aliis alias artes profitentibus praestantissimis illius aevi utebatur magistris, sic in poe-

tica praeceptorem habuit Paulum Crosnensem, virum in carminibus pangendis clarissimum<sup>12)</sup>. Ipse Dantiscus admodum puer animum gratum praeceptoris suo significaturus, carmen in laudem ejus composuit<sup>13)</sup>. Qua autem causâ, quo auctore, et ad quod munus obeundum inter aulicos Alexandri Regis Poloniae sit receptus, nihil certi memoriae traditum est; Seilerus quidem l. c. affirmat plura exstare monumenta, quibus probari possit, eum munere scribae functum esse. Sed cum mihi haec monumenta plane sint ignota, rem hanc in dubio relinquendam esse putavi. — Invitum autem internisisse Dantiscum studia, ex iis quae ipse scribit, perspici potest. In carmine enim ad *Ingenuum* *adol.* v. 67 ita de hac re conqueritur:

In teneris annis tumidam sum raptus ad aulam,  
Scilicet ex doctis, quod modo plango, scholis.

Cum igitur intellexisset Dantiscus, se in aula nullum otium ad literas tractandas habere, relinquere eam statuit, cepitque consilium in Italiam se conferendi ea mente ut monumenta antiquitatis in ipso eorum domicilio cognosceret. Quod propositum casus mutavit. Peragrata enim Dania<sup>14)</sup>, ad quam visendam mare Balticum Dantisco trajiciendum erat, ad meridiem se convertit; finibus autem Saxonum et silva Hercynia<sup>15)</sup> perlustrata cum per Alpes in Italiam venisset et navem ad proficiscendum Hierosolyma paratam conspexisset<sup>16)</sup> priore consilio mutato, navem conscendit et Orientem versus profectus est. Quo in itinere vidit insulam Coreyram, Cretam, Rhodum, ubi coelo sereno et amoenis regionibus vehementer gavisus est. Hic paullulum moratus, cum corpus itinere fessum recreasset, Cyprum navigavit; jucundo tamen et amoeno spectaculo, quod ei praebuerunt oppida Paphus, Gnidus et Idalus mons, frui non potuit: correptus enim febris vehementissima, moestus ad navem redire coactus est. Cypro relicta cum in alto jam esset, tanta tempestas coorta est, ut ultima dies omnibus adesse videretur. Dantiscus illo tempore (1505) viginti annos natus<sup>17)</sup> in vitae periculum adductus est doluitque sibi adolescenti tam procul a patria atque suis moriendum esse. Quo periculo liberatus Joppen, urbem Palaestinae maritimam, pervenit. Hinc, recreatis viribus, Hierosolyma profectus cum urbem cum sociis itineris intraret, non modo calumniis et opprobriis a Judaeis affectus verum etiam verberatus est<sup>18)</sup>. Quapropter non diu inter inhumanam gentem commoratus, viso sepulcro Christi omnibusque sanctis locis in Arabiam se contulit. Qua quidem peragrata desiderium patriae eum cepit. Tra-



jecto igitur mari mediterraneo ad littus Siciliae appulit<sup>19)</sup> visurus omnia loca celeberrima, quae in itinere suo adire neglexit. Itaque admiratus „fumantem ignibus Aetnam“ Neapolim navigavit. Unde finibus frugiferae Campaniae peragratis multisque urbibus visis, Romam pervenit, ubi paululum commoratus in patriam ad suos rediit.

Quae quidem peregrinatio summo emolumento fuit Dantisco: non modo enim multarum rerum usum et scientiam, cognitis tot gentium institutis et moribus sibi comparavit, verum etiam aliquot linguas adeo cognovisse dicitur, ut tanquam propriis uteretur<sup>20)</sup>.

Quo itinere duobus annis confecto cum in patriam rediisset, nullo munere fungi, sed paucis acquiescere<sup>21)</sup> et vitam privatam, non versaturus nisi in bonis artibus, degere statuit. Nihil tamen eorum quae maxime cupivit ac voluit, ei obtigit; brevi enim iterum ad aulam tractum se esse narrat<sup>22)</sup>. Qua autem causa ductus consilium mutaverit incertum est. Verisimillimum est, Dantiscum suadentibus consanguineis atque amicis ut rediret Cracoviam atque theologiae studeret, sperantibusque fore, ut ita brevi et facile auctoritatem majorem assequeretur, etsi invitum morem gessisse<sup>23)</sup>. Dantiscus igitur vicesimum tertium annum vitae agens a. 1508 denuo Cracoviensem universitatem adiit summaque industria et diligentia litteris incumbere coepit. Praeter theologiam artemque poëticam operam navasse juris quoque prudentiae Dantiscum jam hinc manifestum est, quod brevi post in aula regia munere jurisconsulti fungebatur<sup>24)</sup>. Petrus enim Tomicius Vicecancellarius Regni Polonici, vir ingenio et consilio praestantissimus, cum cognovisset, J. Dantiscum multarum rerum scientiam usumque in itinere sibi comparasse, brevi tempore tantopere eum adamavit, ut iudicio suo probatum Sigismundo I. Regi Pol. commendaret. Per Tomicium igitur commendatus<sup>25)</sup> et inter regiarum epistolarum scribas receptus, prudentia, probitate et acumine ingenii, tum maxime eleganti scribendi genere animum Regis adeo sibi conciliavit, ut ad gravissima munia obeunda eligeretur. Ex epistola enim Regis Sigismundi ad Lucam Episcopum Varmiensem a. 1508 data<sup>26)</sup> intelligitur, Joannem Dantiscum ad comitia terrarum Pruthenicarum missum esse omniaque, quae ab initio conventus facta sint, regi Vilnae tum commoranti narrasse. In comitiis igitur civitatum Prussiae, quae modo Mariaeburgi modo Graudenti celebrabantur, una cum Luca Episcopo Varmiensi varias causas Gedanensium, Elbingensium et Thorunensium componebat. Anno 1511 Legatus iterum ad Conventum Ma-

riaeburgensem a Rege missus de nummis cudendis maxime cum tribus majoribus Prussiae civitatibus agitavit<sup>27)</sup>.

Dantiscus quidem etsi negotiis adeo occupatus erat, ut maximam partem temporis in epistolis scribendis et negotiis Regis obeundis consumere cogeretur, musas tamen haudquaquam colere desiit. Nullis angustiis pressus, ubi quid otii dabatur aut ingenio suo indulgens amores sectabatur aut cum aequalibus certamina poetica inibat. Qualis quidem certaminis gravissimum argumentum legimus in Camerarii narratione de Eobano Hesso<sup>28)</sup> hoc: „Erat Gedanensis quidam „aequalis ferme aetate Eobano, neque corporis specie longe inferior, „inferior tamen, pariter et ingenio minor, qui patria appellatione se „Dantiscanum nominaret. Inter hos praeclara contentio exstitit ingenii „et eruditionis, cum alter alterum operibus Musicis, initio sane, ut „accepimus, aliquanto infestius provocaret. Sed Dantiscanus (Dan- „tiscus) vir prudens celeriter sensit, quam longe in hoc spacio ab Eo- „bano relinqueretur, et ingenua confessione primas Eobano concessit, „et ipse aliam laudis ac praestantiae viam ingressus fuit. Nam Sar- „matico Regi se adjunxit. Cujus nomine legationibus ad alios Reges „et Principes functus ad dignitatem et opulentiā maximam pervenit.“ Quanta vero cum cautione documenta omnia legenda sint, mox probabimus. Dantiscus enim, qui jam inde ab anno 1508 secretarius regius erat neque illo demum tempore, quo Eobanus Hesus Cracoviam venit<sup>29)</sup>, haudquaquam de sua facultate poetica desperavit, et postea pulcherrimis carminibus fingendis magnam sibi paravit gloriam. Praeterea ipse Eobanus ingenium poeticum Dantisci, illum vehementem fervorem et eruditionem summis semper cumulavit laudibus, quin etiam in epistola ad Dantiscum Cracoviae data sponte primas ei detulit. Jam vero ipsum Eobanum audiamus<sup>30)</sup>

Tam mihi visa decens, tam vivida, tamque diserta,

In subito excussis est Tua modis.

Talia qui scribit subito dictata furore,

Qualia legitimo tempore scripta dabit?

Cedo libens istoque tibi certamine palmam

Offero . . .

Unde patet, judicium Camerarii de ingenio Dantisci prolatum non modo injustum verum etiam falsum esse. Inter Eobanum autem et Dantiscum tam firma amicitia ex hac mutua aestimatione orta est, ut ab utroque (id quod infra demonstrabimus) per totum vitae spatium pie sancteque servaretur. Eobanum Cracoviae etiam tum<sup>31)</sup> commo-



rantem saepenumero invitabat Dantiscus ad coenam<sup>32)</sup> inter quam sermonibus festivis plenisque facetiarum delectabantur. Quibus in conviviis utrumque saepe frugalitatis modum excessisse ipse Eobanus auctor est in epistola secunda v. 5. ad Dantiscum ita scribens:

Scribis ut hesterno nimum madefactus Jaccho  
Cyclopas capiti credis inesse tuo.

Cum autem de moribus Dantisci infra uberius sim dicturus, nunc talia missa faciam et ad ea enarranda aggrediar, quae gesserit et quemadmodum negotia sibi commissa administraverit.

In aula igitur munere secretarii fungens, principi quidem suo propter orationis elegantiam et fidem probatam gratissimus fuisse, sed in alios iniquus et durus exstitisse perhibetur. Nam anno 1512 Legatus Regius Gedanum missus potestatis et dignitatis adeo studiosus fuit ut originis suae oblitus mores majorum et patriae privilegia laedere non dubitaret, dummodo Regi atque suae voluntati satisfaceret. Quae res ita habuisse fertur. Joannes Dantiscus cum causam aliquam hereditariam<sup>33)</sup> defenderet, senator vero et praeses iudicii, qui unus potestatem lites dijudicandi haebat, ingrattam sententiam pronuntiasset, Dantiscus Regem appellavit; cum autem Gedanenses jure ac privilegio Culmensi freti, quo cautum erat, ne quis ad Regem provocaret, appellare eum vetarent, Dantiscus litem hanc privatim nec non sine artibus prosequeretur. Inde mos obtinuit, ut in litibus civium, privilegiis civitatum Pruthenicarum neglectis provocaciones ad aulam Regiam fieri inciperent. Qua quidem re tantum odium non modo Gedanensium sed etiam omnium Pruthenorum sibi contraxit, ut injuriae libertati suae primum a Dantisco illatae nunquam obliviscerentur. Dantiscus tamen etsi non ignorabat se injuste et ingrate egisse, neque posteriore tempore aequum se Gedanensibus praebuit. Nam cum hi, relicta fide majorum novae favere inciperent, adeo ira efferbuit Dantiscus, ut in carmine elegiaco „Joas propheta“ inscripto patriam urbem sororem Sodomae et Gomorae appellare non dubitaret affirmans brevi ei esse pereundum, nisi quam celerrime ad avitam religionem rediret.

Sequenti anno 1513 rursus Dantiscum in Prussiam ad Conventum Grudecensem missum esse intelligimus ex epistola Regis Sigismundi ad eum data<sup>34)</sup>, ubi Dantiscum nobilibus ac civitatum proconsulibus his verbis commendat: „Commisimus huic notario nostro, venerabili „Joanni Flachsbinder: ut vobis nostra desideria referat. Hortamur

„itaque eos ut eidem aequae credatis atque nobis ipsis.“ Hortandae autem erant Dantisco civitates Prussiae, ut turbantibus pacem resisterent, licentiam praedonum cohererent et decimam marcam Regi jam dudum constitutam solverent.

Eodem fere tempore sacerdos factus, antistes Columbae, quod est oppidum ditionis Cracoviensis, pago praepositus est. Animadvertendum tamen videtur, Dantiscum, quamquam reditum pecuniae ex illo praedio caperet, munere sacerdotis fungi non potuisse propterea, quod propter multa negotia in aula Regia temporis vacui nihil habuit. Anno 1515 in bello inter Polonos et Moscos orto Regem comitabatur<sup>35)</sup>, quocum post victoriam apud Borysthenem<sup>36)</sup> fluvium de Moscis reportatam primum Posonium deinde Vindobonam ad illum celeberrimum conventum<sup>37)</sup> profectus est. Ibidem praeter Sigismundum Regem Poloniae, Vladislaum Ungariae et Bohemiae et Maximilianum Caesarem fuisse et non modo foedus inter Sigismundum et Caesarem Maximilianum stabilitum, verum etiam Mariam neptem Caesaris Ludovico nepoti Sigismundi matrimonio esse datam satis ex historia notum. Nobis autem id maxime considerandum videtur, quid Dantiscus ibi fecerit. Ex iis quidem quae ipse scripsit<sup>38)</sup> et quae Bartholinus in suo Hodoeporico memoriae tradidit, patet suscepisse ibi Dantiscum certamina poetica cum Richardo Bartholino Gasp. Urs. Velio eosque familiari amicitia sibi conjunxisse. Hinc orator cum Drevecio episcopo Vladislaviensi et Leszczynio Capitaneo szluchoviensi ad Venetos missus est, quos ad expeditionem contra Turcas suscipiendam commoveret; cum autem eos nullo modo ad bellum adducere posset, re infecta Vindobonam rediit<sup>39)</sup>. Sigismundus Rex cum in patriam abiret Dantiscum apud Maximilianum reliquit ut suas ipsius res et Caesaris agitare. Quod quidem munus optime eum obire et bello inter Maximilianum et Venetos finito, eloquentia, qua pollebat plurimum ad pacem inter eos perficiendam contulisse ex vita ab ipso scripta<sup>40)</sup> apparet:

Caesaris hujus avus victor quum bella superbis  
 Cum Venetis gereret, qui tria regna tenent:  
 Nuncius in castris fueram ter missus ad illos  
 Et certa pacem conditione dedi.

Atque sicuti omnium illius aevi principum erat moris ut diligentiam assiduitatem et litterarum doctrinam virorum excellentium et maxime de se meritorum non modo non despicerent verum etiam requirerent et magnis prosequerentur honoribus, ita Maximilianus meritorum



de se Dantisci ratione habita et laurea poetica cum ornavit et patricia equestrique dignitate donatum doctorem utriusque juris in universitate Vindobonensi publice creandum curavit<sup>41)</sup>.

Anno 1517 Sigismundi beneficio altiozem dignitatis gradum consecutus est Dantiscus. Ex epistola enim Sigismundi ad Pontificem data<sup>42)</sup> intelligimus, Dantiscum canonicum ecclesiae Varmiensis electum esse. Quo facto in aula Maximiliani varias res principis sui agitasse videtur. Anno enim 1518 Caesarem in Belgium<sup>43)</sup> iter facientem comitatus pacata hac provincia in Germaniam rediit. Interfuit quoque sine dubio comitiis Augustae Vindelicorum eodem anno celebratis<sup>44)</sup> unde cum Maximiliano Oenipontem se contulit. Hinc<sup>45)</sup> in patriam a Rege ad gravius munus abeundum revocatus, otio vacare diu non potuit. Nam post mortem Joannae Reginae Neapolis, quae Isabellam, Bonae Sfortiae matrem (quae eodem anno Sigismundo regi nupserat) heredem ducatus Barensis instituerat, Sigismundus, cui res Isabellae aequae atque suae cordi erant, Joannem Dantiscum ad Maximilianum Caesarem ablegavit, qui nepoti suo Carolo Hispaniarum regi commendaret, ut in reddendo ducatu Barensi facilem oratori Regio se praestaret. Qua quidem re absoluta, Dantiscus nulla mora interposita in Hispaniam ad Carolum Vallidoleti tum commorantem profectus est. Summa autem mandati haec fuit<sup>46)</sup>: „Ageret Dantiscus et peteret a „Carolo omni studio, ut Isabellae bona omnia testamento legata conservarentur et redderentur.“ Quae quidem res etsi magnis multisque difficultatibus erat obstructa, egregie tamen a Dantisco transacta est. Quo facto in Italiam se contulit ad statum ducatus Barensis cognoscendum et ordinandum. E litteris enim Sigismundi ad Dantiscum et Ludovicum Decium datis<sup>47)</sup> perspicimus datam iis esse potestatem integerrimis civibus populoque gratis munera deferendi, jus dicendi, et quae iis civibusque utilia viderentur constituendi. Quibus rebus confectis utrum Dantiscus in patriam redierit an apud Carolum manserit in incerto relinquendum est. Anno autem 1521 cum Turcae ad Hungariam subigendam maximas copias cogerent Sigismundus Rex timens, ne, subacta hac terra in idem periculum adduceretur Polonia, rursus Dantiscum legatum ad Carolum V misit, qui eum etiam atque etiam oraret ut bella intestina componeret et Ludovico Regi Hungariae nepoti suo quam celerrime auxilia mitteret<sup>48)</sup>.

Eodem anno bellum cruentum quod inter Sigismundum Regem et Albertum Cruciferorum magistrum per plures annos gerebatur fini-

tum est. Agendum igitur erat Dantisco cum Caesare „ut arbitros „constitueret, qui adhibitis principibus Germaniae et Rege Hungariae „indutias jam factas confirmarent et finem huic tragoediae imponerent.“ Eadem agenda ei erant apud Ferdinandum regem, Cardinalem Salisburgensem et Georgium ducem Misnensem „verbis pro re et persona „uniuscujusque accomodatis ad favorem ipsorum arbitratorum conciliandum et negotium ipsum celerius absolvendum.“ Per idem tempus cum non modo aliae Prussiae civitates verum etiam Gedanenses et Elbingenses qui Regno Polonico subditi erant, ad Judicium, quod vocabatur Camerae Imperii magno incommodo suo educerentur, sententias vero ibi latas exsequi nollent; Sigismundus Rex finem his controversiis impositurus Joanni Dantisco mandavit, ut jus suum a Carolo vindicaret. Cujus quidem mandati verba haec sunt<sup>49</sup>): „Item petendum a Caesarea Majestate, quod (ut) civitas Gedanensis et Elbingensis non evocentur ad Cameram Imperialem: ac ut illis non imponantur ullae solutiones, cum nobis ac regno nostro subjectae sint, et non „alteri.“

Periculum autem quod Hungariae a Turcis imminabat, multo magis auctum est cum Solymanus pacata Syria et Aegypto maximo cum exercitu ad Hungariam subigendam profectus Belgradum (quod ab aliis Nandor alba sive alba Graeca vocabatur) propugnaculum hujus terrae expugnasset<sup>50</sup>). Sigismundus igitur precibus nepotis sui indulgens per litteras Dantisco mandavit, ut nomine Regis Poloniae et Hungariae roget et obtestaretur Carolum V. „ne tum demum de „extinguendo incendio cogitaret, cum ignis ad intima penetraverit; „proinde Ludovico, qui proximus esset periculo opem quam celerrime „ferret et consideraret quod nomen et quam famam posteritati relinqueret, si duo regna sub imperio suo a barbaris vincerentur et subigerentur.“ Qua quidem in legatione tribus annis confectis sub finem anni millesimi quingentesimi vigesimi tertii a Carolo V. in Belgia tum commorante in patriam dimissus esse videtur Dantiscus; verba enim quae in vita<sup>51</sup>) ab ipso scripta leguntur, optime in hoc tempus quadrant.

Brevi tempore interjecto post reditum in patriam denuo gravia negotia perficienda Dantisco et Stanislao Borgio commissa sunt<sup>52</sup>). Anno enim 1523 mense Novembre Clemens cui postea nomen septimo erat Pontifex electus est. Deinde cum Isabella dux Barensis Bonnae Reginae Poloniae mater ineunte anno 1524 mortem obiisset, du-



eatus Barensis et bona omnia ad Reginam redierunt. Mandatum igitur est Dantisco ut nomine principis sui verbis quam amplissimis Pontifici de hac summa dignitate gratularetur atque exponeret, quanto in periculo Hungaria amissis duobus propugnaculis versaretur. Quapropter oravit Dantiscus Pontificem „ut principes continuo inter se „certantes ad concordiam tandem reduceret et ad tam periculosum „bellum propulsandum commoveret.“ Quod quidem ad ducatum Barensis pertinet, id maxime Dantisco cum Pontifice erat agendum, „ut „quae opus forent ad statum eum retinendum et stabiliendum consilio „et auxilio suo adesse Regi dignaretur.“ Quo facto Venetiam se contulit, ubi duci Venetorum de novo honore gratulatus declaravit, sperare Regem fore, ut vir tam singularis prudentiae et fortitudinis magno praesidio Rei Christianae esset. Cum autem ipsum dominium Venetorum in Regno Neapolitano nonnulla loca et terras ducatu Barensi vicinas haberet, agendum erat oratoribus, ut cives eorum dominiorum bonos vicinos se praeberent, et auxilio suo, ubi opus foret, Regi adessent. Item cohortatus est Dantiscus Senatum Venetorum, ut ferret auxilium Regi Hungariae, ne calamitas illa, fracto hoc regno ad ipsos perveniret. Per idem tempus ducem quoque Ferrariensem<sup>53)</sup> adiit cui nomine Regis amorem et benivolentiam declararet postularetque, ut dux, qui portus et nonnulla oppida ducatu Barensi vicinis haberet, pro viribus ad tranquillum statum servandum inter vicinos conferret.

Quantae autem difficultates Dantisco in obtinendo ducatu Barensi superandae fuerint, e litteris Sigismundi ad Carolum V. datis perspicui licet<sup>54)</sup>. In altera enim conqueritur Sigismundus vehementissime lentitudinem hujus rei, miraturque, cur, quamquam Carolus jusserit, arx Barensis nondum reddita sit. Ibidem orat Carolum, ne praebeat aurem hominibus malitiosis, quibus nihil sit jucundius quam discordiam inter principes concitare. In altera epistola summas gratias Caesari pro reddita arce agit speratque, vinculum affinitatis et amicitiae, quod multi disrumpere sint conati, firmiter etiam fore. Quibus rebus feliciter transactis Stanislaus Borgius in Poloniam rediit, Dantiscus vero jussu Regis apud Carolum V. mansit<sup>55)</sup>; restabant enim quaedam minoris momenti ad ducatum Barensis pertinentia, quae Dantisco perficienda commissa sunt. Sic perspicimus ex epistola Bonae Reginae ad eum data<sup>56)</sup> mandatum fuisse Dantisco, daret operam quam maximam, ut sicuti Isabella ita etiam Bona Regina solvendis vectigalibus in ducatu Barensi liberaretur.

Orator igitur Regius apud Carolum commorans<sup>57</sup>) Sigismundi Regis jussu Romam ad Clementem VII. anno 1525 ad causam Alberti Magni Cruciferorum magistri defendendam profectus est. Albertus enim Lutheranae legis studiosus veste ordinis Teutonici deposita et religione mutata omnes Prussiae civitates auxilio Imperii subigere sibi voluit; sed male sublevatus indutias quadriennes cum Sigismundo Rege Thorunii inire coactus est<sup>58</sup>). Quo facto, Sigismundus omnibus dissensionibus finem impositurus Prussiam orientalem Principi Alberto nepoti suo atque heredibus ejus in perpetuum feudum tradidit. Ne autem Pontifex aegre ferret, quod in indutiis cum Alberto initis nulla mentio mutatae religionis facta esset, mandavit Sigismundus Dantisco, ut se apud Clementem excusaret<sup>59</sup>). De qua legatione ita Dantiscus gloriatur<sup>60</sup>):

Cuncta nihil veritus promissa fideliter egi,  
 In quibus incussit res mihi nulla metum  
 Audivit triplici me cinctus Papa tiara  
 Et prope Cardinei turba sacrata chori,

Eodem tempore atrocissimum bellum inter exercitus Caroli V. et Francisci Franciae regis in Italia saeviebat: Dantiscus igitur, causa Albertii Principis apud Clementem VII. transacta, summo vitae periculo „per cuneos equitum, per peditumque globos“<sup>61</sup>) in Hispaniam quam celerrime se contulit. Ex quo tempore Dantiscum continuo in aula Caroli commorantem varia negotia Sigismundi Regis agitasse neque in patriam rediisse, e litteris ejus ad fratrem Bernardum a. 1530 17. Martii datis patet<sup>62</sup>); in iis enim scribit „se jam sex annos in Polonia non fuisse.“ Agitabat autem, ut supra jam memoravi, etiam tum rem ad ducatum Barensensem pertinentem; cujus rei mentionem inveni in epistola Cornelii Duplicii Scepperi illo tempore in aula Caroli V. munus Legati obeuntis ad Joannem Dantiscum a. 1527, 27. Junii data<sup>63</sup>), ubi praeter alias res haec scribit: „Cuperem scire an S.<sup>64</sup>) reddiderit vobis statum „Barensensem. Velim me crebro certiores facias de rebus tuis; nam „non dubito, quin tibi grave sit, soli illic esse inter Hispanos, cum tot „amiseris convictores, sine quibus tibi vitae medietas deperit.“

Per idem tempus et Carolus V. multa gravia negotia Dantisco commisisse videtur. Seilerus<sup>65</sup>) quidem memorat, contulisse plurimum Dantiscum ad pacem inter Carolum et Franciscum Franciae regem, quam eos anno 1527 (?) inisse dicit. Quam autem pacem Seilerus intelligi voluerit, difficile est conjicere. Nam pax qua Francis-



cus vinculis liberatus est Madriti a. 1526 facta est. Altera autem pax quam hi principes inierunt, Cameraci a. 1529 conciliata est. Num autem ad alterutram Dantiscus aliquid contulerit nihil certi memoriae traditum. Utcunque se ea res habet, hoc certe negari non potest, merita Dantisci in Carolum multa et magna fuisse. Nam Dantiscus, cujus et consilio saepe Carolus utebatur et lepore orationis delectabatur, tanta gratia et amicitia fere apud eum floruit, ut is obtrectationis et versutae malignitatis nulla ratione habita, Dantiscum et maximis beneficiis cumulaverit et ad ornamenta nobilitatis quae ille ab avo Caroli acceperat, majorem dignitatem addiderit. Anno enim 1529 honoris ejus causa nummum aureum Carolus cudendum curavit additis duabus ad insignia Dantisci alis, altera nigra altera alba. Cum igitur sciamus a. 1529 Carolum V. ad insignia nobilitatis Dantisci nova addidisse, verisimillimum est, eodem anno nobilitatem Hispanicam, quam memorant Camerarius et Varsevicus Dantisco datam esse. Quae quidem dignitas eo magis Dantisco grata erat, quod non ignoravit pro meritis ac laboribus<sup>66</sup>) oblatam sibi fuisse. Dum igitur a Carolo V. tantis beneficiis tantisque honoribus cumulatur, in patria, quamquam summo studio negotia Sigismundi regis atque Bonae conjugis ejus agitare, nullum tamen altio rem dignitatis gradum consecutus est. Qua injuria Dantiscus offensus epigrammate ad Tomicium ex Hispania misso animum regis meritorum immemorem et invidiam Bonae reginae perstrinxit<sup>67</sup>).

Anno 1529 in Italiam cum Carolo V. profectus Bononiam mense Novembre pervenit. Bello enim inter Clementem VII. et Caesarem finito adeo alter alteri reconciliatus est, ut pontifex in conventu Bononiensi anno 1530 24 Martii duplici corona Carolum V. ornaverit. Dantiscus qui Carolum comitatus huic congressioni interfuit<sup>68</sup>) hac reconciliatione principum tanto affectus est gaudio, ut utrumque gravissimo carmine et ea qua pollebat auctoritate ad arma contra Turcas jungenda cohortaretur. Quo quidem carmine et Clementem VII. et Carolum V. summis laudibus efferens et calamitates illorum temporum describens modum haudquaquam excessisse videtur. Turcae enim continuis incursionibus in Hungariam adeo vires hujus regni attriverunt agros devastando oppida comburendo hominesque in servitutum abducendo, ut jure timendum esset, ne Hungaria devicta ad terras imperii Romani subigendas prorumperent.

Quo conventu celebrato anno 1530 cum Carolo in Germaniam



profectus est. Oeniponte ubi Caesar apud Fardinandum fratrem unum mensem substitit Dantiscus Cardinalem Gattinariam Caesaris cancellarium suique amantissimum, qui ibi mortem obiit, amisit<sup>69</sup>). Hinc Augustam Vindelicorum profectus interfuit illis celeberrimis comitiis, quorum memoriam professio evangelicae doctrinae posteritati tradidit. Quo in conventu inter alios complures viros eruditione praestantissimos veluti Valdesium et Philippum Melanchthonem cognovit eundemque multis egregiae voluntatis atque amoris significationibus prosecutus est<sup>70</sup>). Huc Eobanum Hessum<sup>71</sup>) veterem amicum cum Joanne Campensi invitavit et tempus negotiis vacuum cum iis degebat. Melanchthon autem vir clarissimus adeo sermonibus Dantisci gavisus est, ut cum in epistola ad Tarnovium capitaneum Cracoviensem<sup>72</sup>) tum ad ipsum Dantiscum scripta summis laudibus eum efferret. Cujus epistolae non possum quin pauca verba afferam. „Rogavit me (inquit Melanchthon) hic adolescens ut litteras ad Te darem, quod ego non solum ipsius causa, sed multo magis etiam mea causa libenter feci. Gaudebam enim mihi occasionem offerri significandae Tibi gratitudinis meae. Etenim cum me singulari benevolentia complexus sis, in eo praesertim loco, in quo nobis etiam conjuuctissimorum hominum studia defuerunt, facile perspexi insignem humanitatem Tuam Teque tum propter alias egregias virtutes, tum vero propter hanc humanitatem, homine docto et sapiente dignissimam, vehementer amare coepi. Neque ego nunc de causa quicquam disputabo, in qua scis me nihil in utraque parte aliud contendisse, quam ut moderatius utrinque res gereretur.“

Per idem tempus Joannes Dantiscus jam diu a Sigismundo rege neglectus et nisi munere canonici Varmiensis non fungens episcopus Culmensis electus est<sup>73</sup>). Quae quidem dignitas „pro fida et diligenti (sunt verba regis) servitute, qua per non modicum tempus regi et serenissimae conjugii ejus munus oratoris obeundo praestitit“ Dantisco delata animum ejus jure offensum quodammodo lenivit, praesertim cum speraret brevi tempore in patriam sibi redire regem permissurum<sup>74</sup>).

Quibus in comitiis maxime causam Alberti ducis Prussiae agitabat<sup>75</sup>). Nam Sigismundus rex timens, ne sibi odium Caroli V. et principum Germaniae contraheret, quod ad arbitrium Prussiam in hereditarium feudum mutasset, excusatum id factum Caesari voluit. Carolus tamen Valtherum Cronebergium solenni ritu novum ordinis Teutonici ma-

gistrum creavit. Quo facto Cronebergius ad Caesarem et iudicium imperii Albertum citavit. Qui cum non apparuisset, a iudicio imperii publice promulgata sententia condemnatus est. Dantiscus quidem Alberti causam defendens nihil profecisse videtur propterea quod a novo magistro et ordinibus imperii nimiae difficultates obstabant. Haec igitur res in aliud tempus dilata est.

Jucunda et suavi spe, brevi ad suos redeundi, plane destitutus est Dantiscus. Sigismundus enim Caesarem in Belgium proficiscentem sequi eum jussit ibique, donec revocaretur, manere et honorem suum, quantum expedire videretur, adjuvare. Itaque post comitia Augustae Vindelicorum celebrata Carolum V. comitatus a. 1530 21. Decembre Coloniam Agrippinam. quo Caesar Principes Germaniae ad Ferdinandum fratrem Regem Romanorum creandum convocaverat, pervenit. Neque dubium est, quin Dantiscus solemnibus Aquisgrani a. 1531 11. Januarii celebratis, quibus Ferdinando regnum ac diadema delatum est, interfuerit. Hinc cum Caesare in Belgium profectus mense Januario Bruxellas venit<sup>77)</sup>. Hinc autem Gandavum se contulit, quam urbem Carolus 1531 24. Martii solenni pompa intravit<sup>78)</sup>. Ex quo tempore maximam partem vixisse Dantiscum Bruxellis<sup>79)</sup> usque ad mensem Septembrem libellus ejus prosa oratione „de victoria Sereniss. Regis Poloniae contra Vayvodam etc.“ scriptus et in publicum 24. Septembre Bruxellis editus gravissimo est documento<sup>80)</sup>. E litteris Petri Tomicii anno 1531 25. Julii ad Joannem Dantiscum datis<sup>81)</sup> manifestum est dedisse operam Dantiscum, ut quam primum in patriam redire sibi liceret. Frustra tamen. Tomicius enim amicus et fautor Dantisci regem nullo modo adducere potuit, ut Dantiscum revocaret. Cujus rei hae potissimum causae fuerunt: „nam (inquit Tomicius) cum ita factum est, quod post missum in Hispanias Domino Zenicki jam diu a Caesare non discessit D. V. Reverendissima quoad in Germaniam descenderet, arripuit occasionem Majestas sua propter multa ardua reip. negotia D. V. R. istic retinendi, quam scit pro honore et ex dignitate sua istic omnia curare.“ Praeterea missurus erat rex Dantiscum ad concilium generale, propterea „quod nemo melius et mandata referre et locum Majestatis Regiae cum dignitate sustinere praeter Dantiscum posset, qui per tot annos optime didicerit quid in istis excelsis locis et aulis facere et dicere cum decore conveniat. Vocavit tamen Tomicius Dantiscum in spem brevi tempore ad suos redeundi. Bruxellis a. 1532 mense Aprili cum Caesare ad comitia Ratisbonae



habenda in Germaniam rediit. Hic iterum rem Alberti Ducis Prussiae agitabat<sup>82)</sup>. Mandatum autem est Dantisco, ut efficeret, ne Albertus Dux in futurum ad iudicium imperii evocaretur neve ei molestia exhiberetur. Ceterum ipsi Alberto per oratorem suum ordinibus Germaniae respondere visum est se nisi regis Poloniae iudicium atque auctoritatem non agnoscere. Defendisse autem Joannem Dantiscum dignitatem Alberti Ducis adversus Theutonici ordinis magistrum Cronebergium, ipsius libellus gravissimo nobis est argumento<sup>83)</sup>.

Quibus in legationibus duodecim annis consumtis<sup>84)</sup> tot tantisque negotiis confectis, tot laboribus exantlatis<sup>85)</sup>, eodem anno mense Augusto<sup>86)</sup> Cracoviam rediit, ubi paululum commoratus in Prussiam ad occupandum episcopatum Culmensem profectus est. Post reditum in patriam tempus inter negotia publica, matrem, fratres et sorores dividens maximam partem Lubaviae habitabat. Attamen ne tum quidem vitam tranquillam degere ei licuit. Civitates enim Prussiae vario modo illis temporibus exagitabantur. Omnes fere cives Prussiae Legi Lutheranae favere coeperunt; unde factum est ut pax saepe turbaretur. Videndum nobis igitur est, quid Dantiscus illis temporibus fecerit, quantum auctoritate sua apud cives valuerit, et quomodo muneri, quoungebatur, satisfecerit. Illa aetate civitates Prussiae, etsi Regi Poloniae subjectae erant, suum tamen habebant senatum; praeterea utebantur quibusdam privilegiis et immunitatibus, quae iis a regibus Poloniae datae erant. Comitia habebantur apud eos quotannis duo: Mariaeburgi die sancti Stanislai et Grudenti aut Thorunii die sancti Michaelis. Huc cum minorum oppidorum legati tum majorum civitatum (in quorum numero erant Gedanum, Thorunium et Elbinga) consiliarii conv. nire solebant, saluti totius civitatis servientes. Quibus in Comitii principem locum obtinebat Episcopus Varmiensis, secundum Episc. Culmensis. Cum autem illo tempore Mauritius Ferberus Episc. Varmiensis propter infirmam valetudinem suo munere fungi non posset, vices ejus saepissime obibat Dantiscus<sup>87)</sup>. Eodem tempore Rex Poloniae privilegia a proximis regibus data et sancita magis magisque imminuere et infringere coepit; quod quidem civitates Prussiae aegre ferentes jus suum et immunitates summa virium contentione defendebant. Conditio igitur Dantisci admodum erat difficilis; neque enim favorem Regis amittere neque animos civium suorum abalienare sibi voluit. Tutissimum autem visum est Dantisco officium et justitiam retinere nec non rationibus terrarum Pruthenicarum consulere.



Anno autem 1533 accidit, ut Episcopus Culmensis ex magna gratia, qua apud Regem et Reginam florebat, in odium fere veniret. Cum enim post reditum in patriam operam daret, ut Episcopatus ejus tributo, quod toti provinciae impositum erat, liberaretur neque pecuniam solveret<sup>88</sup>), inimicitiae inter Stanislaum Kostka praepositum aerarii et Dantiscum exortae sunt et multam molestiam Episcopo exhibuerunt. Kostka enim vir asperi et inculti ingenii omnibus rationibus Dantisco nocere coepit. Eodem anno mense Decembre minis prohibuit Dantiscum, quominus in conventu extraordinario Mariaeburgi celebrato appareret<sup>89</sup>). Quae quidem discordia eo magis exarsit, quod Kostka a. 1534 die sancti Stanislai in conventu Grudentino a nemine invitatus in senatu ordinum sede occupata omnibus consiliis invitis consiliariis interfuit. Quo facto omnes offensi statim surrexerunt comitia relicturi. Quod cum animadvertisset Kostka, ad Episcopum Culmensem, qui huic conventui praesidebat, se convertens contumeliosis verbis prosequi coepit<sup>90</sup>), addens non gratos esse Pruthenis Polonos; ad quod Dantiscus respondit: se pro fide sua non minus Polonum esse et omnes Pruthenos, quam ipse esse posset, si in Prussia natus esset. Quo facto Kostka injuriam sibi illatam ratus, non modo ad Matthiam Drevecium Archiepiscopum Gnesnensem, verum etiam ad plures Poloniae proceres litteras misit, graviter accusans Dantiscum se ab eo contumeliose tractatum et ex conventu ejectum esse<sup>91</sup>). Atque Drevecius fidem huic crimini tribuens in litteris ad Dantiscum datis non solum Kostkam defendere ausus est, sed etiam factum illud Dantisco exprobravit. Eodem tempore insinulavit Kostka consiliarios et legatos civitatum Pruthenicarum, praestitisse eos praeter solitum jusjurandum aliud Regi alienum et contrarium et decrevisse, ne ea quae in comitiis agantur, in Regis ejusque consiliariorum notitiam perferrentur<sup>92</sup>). Quas litteras Drevecii postquam Dantiscus in senatu cum consiliariis communicavit, factum est ut omnes Archiepiscopum Gnesnensem odisse inciperent, Kostkam autem improbum hominem declararent, cum vanissimis delationibus Dantiscum in odium publicum vocare et pacem civitatis turbare ausus esset. Praeterea rogarunt Regem, mandaret Stanislao Kostkae ut in judicio appareret et veniam a Dantisco peteret<sup>93</sup>). Innocentia Dantisci auctore Tomicio Regi atque Reginae probata, Kostka Dantiscum adiit et declaravit sese cum ordinibus in gratiam redire velle<sup>94</sup>). Atque Dantiscus ulciscendi non cupidus injuriam a Kostka sibi illatam facile condonavit, quin etiam

arbitrum sese inter Kostkam et ordines Prussiae fore pollicitus est<sup>95</sup>). Quo facto sub finem anni 1536 et consiliariis et Dantisco Kostka reconciliatus est.

Reliquum erat, ut Dantiscus Drevecium in Pruthenorum gratiam restitueret. Drevecius quidem, cui persuasum erat, magnam se Dantisco injuriam intulisse, primus per litteras Dantisco significavit<sup>96</sup>) se ad voluntatem Petri Tomicii ad reditum in gratiam esse paratum, dummodo Dantiscus indignationem Pruthenorum in se motam restingueret. Dantiscus autem, qui non ignorabat, auctoritatem suam auctore Drevecio in Regno imminutam esse, conditionem hanc non modo non accepit, sed etiam in animo habuit episcopatum Culmensem ab ecclesia et ditione Gnesnensi sejungere eumque episcopo Rigensi subijcere<sup>97</sup>). Tomicius tamen qui Dantiscum diligenter monebat, ne id faceret neve Regis animum rursus a se abalienaret, effecit, ut eum cum Drevecio in gratiam reduceret<sup>98</sup>).

Ex eo tempore Dantiscus in comitiis terrarum Pruthenicarum primum obtinens locum consilio suo et prudentia publicae saluti consulebat; et sicuti adolescens, ut supra memoravimus, auctoritatis regiae nimis erat studiosus, ita nunc aetate proventus in defendendis privilegiis civitates sublevabat<sup>99</sup>). Quapropter magna auctoritate apud cives floruit omniumque animos sibi conciliavit. Anno 1536 mense Decembre<sup>100</sup>) cum Sigismundus Augustus vivo etiam tum patre rex creatus esset, civitates Prussiae Dantiscum una cum Georgio Baisio Palatino Mariaeburgensi, Georgio Konopatio Palatino Pomesaniensi et Nicolao Działyńio castellano Culmensi, oratorem Cracoviam miserunt, ut in comitiis ibi habendis privilegia Prussiae violata<sup>101</sup>) defenderet et Sigismundum Augustum ad sanciendas omnes immunitates adduceret. Postquam Cracoviam ventum est, consilium apud Dantiscum habitum, in quo ceteris legatis placuit, ut is omnium nomine rem apud regem ageret. Cui quidem muneri egregie episcopus satisfecit. Qua legatione obita a. 1537 mense Februario in Prussiam rediit.

Quantam autem diligentiam ingenuorum studiorum atque artium adhibuerit Dantiscus, ex hoc maxime intelligi potest, quod Lengnichius memoriae tradidit<sup>102</sup>). In comitiis enim a. 1536 Mariaeburgi habitis auctor praesentibus consiliariis fuit, ut Gymnasium Culmense restituerent eique doctos et probos praeficerent praeceptores. Quo autem facilius et celerius tam utile opus perficeretur, quadraginta mar-



cas quotannis se soluturum pollicitus est. Quod episcopi exemplum omnes secuti sunt et pecuniam pro re daturos sese promiserunt.

Sub finem anni 1537 altio rem in ecclesia dignitatis gradum Dantiscus adeptus est. Nam post mortem Mauritii Ferberi episcopi Variensis, Sigismundus rex, meritorum Dantisci ratione habita, auctor fuit, ut summum hoc in Prussia fastigium Dantisco deferretur<sup>103</sup>). Eodem tempore alia res magnum gaudium Dantisco attulit. Carolus enim Quintus, qui semper benivolentiam erga Dantiscum habebat, ad honores anno 1529 Dantisco delatos majores et illustriores additurus inter Cardinales creandos eum designavit<sup>104</sup>). Utrum autem Dantiscus postea operam dederit, ut hunc dignitatis gradum consequeretur necne, in incerto relinquendum est. Boehmius quidem<sup>105</sup>), ejus judicium nobis probatur, affirmat, satius duxisse Dantiscum procul ab ambitione in Praesulatus nuper sibi commissi officio acquiescere.

Anno 1538 mense Majo a Sigismundo Rege Cracoviam vocatus legationem ad matrimonium Sigismundi Augusti cum Elisabetha Ferdinandi Romanorum Regis filia conficiendum suscepit<sup>106</sup>). Civitates Prussiae hanc occasionem commodam et idoneam esse ratae multa negotia ei commiserunt. Atque primum agendum ei erat, ut Jus Culmense in meliorem ordinem redigeretur; deinde ut Gedanenses agros Putrigenses retinere possent; denique ut summi magistratus in Prussia non nisi indigenis deferrentur. Quibus rebus confectis Dantiscus cum Janussio Latalski Palatino Posnaniensi Vratislaviam profectus est, ubi eo tempore Ferdinandus commorabatur. Utrum autem de matrimonio illo Vratislaviae oratores cum Ferdinando egerint an alio loco, non satis constat. In litteris enim per eosdem oratores ad Ferdinandum datis declarat Sigismundus, mandasse se legatis, ut eum, si diutius Vratislaviae manere non posset, comitarentur quocumque se conferre vellet<sup>107</sup>). Praeter nuptias agendum erat oratoribus, ut Ferdinandus operam daret, ne pax et tranquillitas Regni Polonici a subditis suis turbaretur; deinde ut pacta et foedera jam dudum inter Regnum Poloniae et Bohemiae ac Silesiam de praedonibus pacem publicam turbantibus firmata renovarentur; denique mandatum iis est, peterent a Ferdinando, ut auctoritate sua Carolum V. commoveret, ne Alberto duci Prussiae molestia a magistro Cronebergio exhiberetur. Quae quidem legatio ultima videtur esse quam Dantiscus peregre obiit. Nam redux in patriam semel tantum Cracoviam a. 1542<sup>108</sup>) missus est, ubi rursus privilegia terrarum Pruthenicarum defendit.



Omnino autem ex iis quae Lengnich de Dantisco posteritati tradidit<sup>109</sup>), apparet, eum semper omnes labores ad utilitatem publicam retulisse. Postquam Sigismundus rex mandavit ut Prutheni filios suos e scholis, quarum praeceptores Legi Lutheranae faverent, revocarent<sup>110</sup>), juvenus Prussiae propter magnum defectum scholarum non habebat, ubi institueretur. Dantiscus igitur civibus subventurus curam restituendae scholae Culmensi impendere et pecuniam una cum Gisio episcopo Culmensi conquirere coepit. Quamobrem multum auctoritate valebat apud cives; inventi tamen sunt malitiosi, qui auctoritatem hanc Dantisco invidentes iterum eum apud Sigismundum criminarentur<sup>111</sup>) omnia eum in terra Prussica ad arbitrium suum regere et gubernare. Consilarii tamen haud ignorantes Dantiscum commodis utilitatique publicae semper serviisse, honorem ejus tuiti sunt.

Expositis jam legationibus Dantisci iisque, quae in patria fecit, ad mores ejus adumbrandos aggredior. Atque animadvertendum mihi est Dantiscum sicuti egregiis ingenii dotibus praeditum ita magnis vitiis non vacuum fuisse. Nam adolescens Cracoviae etiamtum in aula regia commorans omni genere libidinum diffluebat, et in conviviis cum amicis poculis certans et usque ad ebrietatem vino se obruens totas noctes consumebat<sup>112</sup>). Inde ab anno 1516 usque ad a. 1518 munere oratoris regii apud Maximilianum fungens cum ad Venetos missus esset, Grineam quandam in deliciis habuisse videtur; brevi tempore a Sigismundo rege in patriam revocatus summo cum dolore relinquere eam coactus est. Cujus amoris documentum in elegia amatoria „ad Grineam“ inscripta et Sigismundo Herbersteinio anno 1518 dedicata posteritati tradidit<sup>113</sup>). In praefatione, quae hoc carmen antecedit, fatetur, se rationem vivendi mutare decrevisse et piis meditationibus se dare. Quibus votis Dantiscum non stetisse mox apparebit. In Hispania enim cum apud Carolum V. maximam partem Valladoliti vitam degeret, amore cujusdam Isabellae del Gada<sup>114</sup>) captus filiam ex ea sustulit. Hispania vero relicta post reditum in patriam et matrem et filiam plane neglexit. Adulta filia ejus Johanna auxilium per litteras implorabat ne se destitueret<sup>115</sup>). Dantiscus precibus ejus morem gesturus Sceppero in Hispaniam proficiscenti mandavit<sup>116</sup>), ut eam a matre sejungeret et ad Franciscum Vernerum mittendam curaret<sup>117</sup>). Qui cum ipse mandato huic satisfacere non posset, Hieronymo Seilero et Velsers rem perficiendam tradidit<sup>118</sup>). Spes tamen, omnia prospere eventura, seseque liberatum iri lam-

tationibus suae amatae, plane eum fefellit. Ysope enim sentiens ad ultinam inopiam se venturam esse, si Johannicam dimitteret, alia conditione tradere Dantisco eam noluit, nisi sibi ducentos aureos misisset, ex quorum usura vitam sustentaret<sup>119</sup>). Dantiscus tamen timens, ne fama sua carperetur, si eam sublevaret, adeo immisericordem se prae-buit, ut utramque prorsus desereret. Quae quidem inhumanitas magnas ei exhibuit molestias. Ysope enim ad summam desperationem adducta non modo in epistolis crudelitatem<sup>120</sup>) ei exprobrabat, verum etiam minabatur se, nisi Dantiscus misericordia captus pecuniam sibi sufficientem mitteret, filiam turpi officio esse tradituram. Neque tamen id genus minis quidquam profecit. Johannicam una cum matre ad summam inopiam redactam ubi forte nobilis adolescens Jacobus Gracian Alberta cognovit, matri suae erudiendam tradidit et brevi post munus scribae in aula Caroli V. adeptus in matrimonium duxit<sup>121</sup>). Dantiscus autem, qui has nuptias ratas habuit, simulasse postea fertur, sese inscio et invito eas esse contractas; quin etiam filiam suam agnoscere noluit<sup>122</sup>). Quam animi durtitiam etiam Johannes Archiepiscopus Lundensis Dantisco exprobrans cohortatus est, ut filiae suae atque marito ejus succurreret<sup>123</sup>). Dantiscus tamen, ut ex epistola Albertae modo laudata manifestum est, preces filiae repudiavit.

Praeter Isabellam amplexus est amore quandam Lyncken Bru-xellensem, quam redux in patriam pariter atque Isabellam deseruit<sup>124</sup>). Cujus durae severitatis omniumque turpium factorum saepe Dantiscum poenituit<sup>125</sup>), et tanquam si vitia et errores id genus remunerari vellet, beneficum et benignum multis se praebebat. Imprimis autem debuit Dantisco innumera beneficia Joannes Campensis<sup>126</sup>), qui jam dudum intimo amicitiae vinculo cum Dantisco conjunctus interpretatio-nem omnium Psalmorum, gratissimo animo nomen ejus prosecuturus, Norimbergae a. 1532 excusam ei dicavit. Quod opus benigno animo Dantiscus accepit adjectoque suo epigrammate redux una cum Campensi<sup>127</sup>) in patriam Cracoviae apud Unglerum denuo cudendum cu-ravit. Praeterea contulit beneficia in juvenes pauperes, in quibus po-nendi sunt potissimum Stanislaus a Knobelsdorf et Stanislaus Aichler. Prior<sup>128</sup>) eorum in Prussia loco equestri natus Joannem Dantiscum episcopum Varmiensem electum carmine elegiaco salutavit. Dantiscus autem non solum iisdem numeris<sup>129</sup>) ei respondit, sed etiam adju-vante Tidemanno Gisio, qui tum episcopus Culmensis electus est, ma-gnis impensis Lovanium et Lutetiam Parisiorum ad litteras antiquitatis



cognoscendas misit. Reducem in patriam ut filium suum amavit et canonicum Varmiensem eligendum curavit. Alter eorum Stanislaus Aichler (Glandinus)<sup>130</sup>) Cracoviae natus cum Joanne Bonnero Romam profectus est ibique studiis litterarum deditus per unum annum a Dantisco sublevatus est<sup>131</sup>). Neque silentio praetereundus est nobis Helius Eobanus Hesus, qui jam Cracoviae, ut supra memoratum est, familiaritate intima cum Dantisco contracta liberalitatem ejus egregiam saepe expertus est<sup>132</sup>). Postquam Dantiscus a. 1530 cum Carolo V. in Germaniam delatus Augustam Vindelicorum venit, E. Hesus tanto gaudio est affectus ut relicta domo ad eum se conferret et carmen in reditum ejus componeret. Binis annis post Dantiscum in comitiis Ratisbonae habitis una cum Joanne Campensi adiit et unum mensem commoratus est<sup>133</sup>). Brevi post Eobanus gratias pro beneficiis acceptis Dantisco relaturus Lib. I. Silvarum anno 1533 ei dicavit, quin etiam omnia carmina ad eum missa seorsum editurus erat. Quanti autem Eobanus vir tam clarus Dantiscum aestimaverit, ex pluribus epistolis cum ad alios viros tum ad ipsum episcopum scriptis manifestum est<sup>134</sup>).

In viris clarissimis, quos sibi Dantiscus familiari amicitia conciliaverat, numerandi sunt etiam Jacobus Spigelius<sup>135</sup>), G. U. Velius quocum amicitiam in conventu Vindobonensi contraxerat<sup>136</sup>) saepeque certamina poetica inierat<sup>137</sup>). Mercurinum Gattinariam Cardinalem Caroli V. summum a secretis Cancellarium et virum per multos annos carissimum habuit et mortuum<sup>138</sup>) non modo ipse epigrammate prosecutus est verum etiam Eobanum Hesium et Joannem Secundum quem a. 1531 in Belgia cognovit, ut idem facerent, adduxit<sup>139</sup>). Cum autem numerus amicorum Dantisci infinitus fere sit, omnes commemorare longum est. Non praetereundus tamen nobis videtur Ferdinandus Cortesius Hispanus illustri loco natus, qui quamvis in America vitam degeret, amicitiae cum Dantisco Madriti initae non oblitus est. Quod quidem Dantiscus glorians memorat<sup>140</sup>) his verbis:

Principibus magnisque viris, doctisque probisque

Convixi . . .

Inter quos procul est Magnus Cortesius ille

Qui mundi reperit regna tot ampla novi.

Ultra Aequatorem, Capricorni sidus ad usque

Imperat, estque mei tum procul ille memor.

Eodem vinculo amicitiae obstrictum fuisse Dantiscum Joanni de Wece Archiepiscopo Lundensi eum e litteris Cornelii Duplicii Scep-



peri<sup>141</sup>) tum ex iis quae supra jam memoravimus patet. Atque C. D. Scepperus, cui Dantiscus tam crebro negotia et animi secreta committebat, ubique fidelissimum se praestans amicum, ut patrem coluit. Cujus amicitiae tam piae tamque sinceræ plurima in epistolis Scepperi ad Dantiscum scriptis invenimus documenta<sup>142</sup>).

Inter viros illius aevi doctissimos dignus est etiam Des. Erasmus Rotterdamus cujus nomen hic commemorem. Nam hoc etiam usus est familiarissime Dantiscus<sup>143</sup>) et episcopus Culmensis electus imaginem singulari artificio gypso expressam Rotterdamo gratificaturus misit. Quod quidem Rotterdamo tam gratum fuit, ut ei Sancti Basilii versionem de Spiritu Sancto Friburgi Brisgoviae 1532 dedicaret<sup>144</sup>).

J. Camerarius et Valdesius prudentiam atque eruditionem Dantisci magni aestimantes honorificis verbis eum prosecuti sunt<sup>145</sup>). In patria autem cum Tidemanno Gizio episcopo Culmensi, Copernico<sup>146</sup>), Stanislao Hosio, Petro Tomicio episcopo Cracoviensi arcissimo amicitiae vinculo conjunctus erat. Georgium Sabinum<sup>147</sup>) primum Universitatis Regiomontanae rectorem saepe Heilsbergam una cum uxore ejus nec non Melchiore Isindero invitavit, ubi jucundissimis sermonibus eos delectans honestissimo modo muneribus augebat. Aliquando enim Sabino domum redituro tradidit aliquid, quod vasculum medicamentis impletum ei esse videbatur, et contra pestilentiam in illis regionibus tum saevientem ut adhiberet, commendavit. Georgius autem brevi animadvertit, dedisse sibi Dantiscum complures argenteos qui Joachimici vocabantur<sup>148</sup>). Ex epistolis autem Sabini intelligimus et ab ipso et a Melchiore Isindero libellos Dantisco dicatos esse. Praeter multos comites et duces Germaniae, quos Dantiscus cognovit, observavit eum quoque et coluit Albertus Dux Prussiae saepeque consilio ejus usus est<sup>149</sup>). Post mortem Tomicii cum Stanislaŏ Górski episcopo Cracoviensi usque ad mortem suam familiarissime vixit; qui quidem de omnibus rebus, quae in aula agebantur, certiore Dantiscum faciebat<sup>150</sup>).

Cum autem ad amicitiam et prudentem familiaritatem a natura factus esse videretur, appetebatur ab his omnibus, qui amarent humanitatem, quos multiplex rerum cognitio, quos hilaris convictus, quos libera et aperta confabulatio juvaret; quo fiebat, ut quocumque adveniret, hilaritatem liberalem et humanitatem afferre videretur<sup>151</sup>). Omnibus erat aditu facilis, benivolentia atque opibus multos pauperes sublevabat. Inter laeta convivia deposita dignitatis persona, sensus

suos aperiens non modo humanissime tractabat amicos facillimum et officiosum se iis praebens, verum etiam amplis praemiis condonabat<sup>152</sup>). Litteras et universam antiquitatis cognitionem unicam atque certissimam rationem ad summos honores comparandos esse judicabat<sup>153</sup>). Doctrina enim et eruditione quemque vel in externis terris gloriam consequi posse dictitabat<sup>154</sup>). „Inerat (sunt verba Boehmii, prooemium pag. 30) autem ei exquisita juris sacri ac civilis intelligentia; pulcherrimarum rerum non solum illa ex philosophorum libris quaesita, sed ex omni aevi, omnium populorum historiis plenius hausta cognitio; facundiae tam eximium decus, ut et Pontifex Romanus, et Curiae Romanae, disertissimi senatores in ejus admirationem pertraherentur. Praeter haec studium et sollertia per omnem vitam summa.“ Quod quidem iudicium de Dantisci virtutibus factum justum esse, clarissimi viri et aequales ejus testantur<sup>155</sup>). Joannes Campensis summis laudibus virtutes ejus efferens<sup>156</sup>) scribit didicisse Dantiscum totius Europae fere linguas. Sermonis latini certe peritissimus fuit; praeterea duo exstant gravia documenta fuisse Dantiscum Graecae linguae scientem. Erasmus enim Rotterdamus, cui fides habenda est, tradidit memoriae Joannei Dantiscum utramque litteraturam pulchre calluisse<sup>157</sup>). Alter, qui idem memoriae tradidit, est Georgius Sabinus; in epistola enim prima ad Dantiscum data<sup>158</sup>) eruditionem ejus his verbis prosecutus est:

„Quin et saepe tuas ad astra laudes  
 „Pleno Musicus ore coetus effert:  
 „Te sermonis et utriusque linguae  
 „Expertum canit, inclitumque vatem.“

Praeterea in ipsius operibus multi inveniuntur loci, e quibus manifesto patet, legisse Dantiscum non modo opera Homeri sed etiam fabulis Sophoclis gavisum esse<sup>159</sup>). Vivendi rationem, quam adolescens et legatus regius usque ad annum quadragesimum vitae suae egit, senex mutavit, et ut antea Baccho et Veneri deditus fuit, sic postea piis meditationibus defixus, sobrius et moderatus apparet. Quam vitae mutationem Cardinalis Hosius egregie adumbravit<sup>160</sup>). „Nam et juvenis (inquit) ab iis, quae aetas illa fert, non abhorruit et bonam aetatis suae partem in aula consumsit, cujusvis rei potius, quam virtutis magistra: ita ut longe tum ab illo distaret, quem eum nunc esse videmus. Dicas ex Saulo Paulum, ex persecutore factum Apostolum..... Tandem exiit veterem hominem, novum induit, et quanto saeculi



quondam, tanto nunc Christi amore exarsit: ut non alia magis in re, adfecta in hac et aetate et valetudine sua, quam in jugi Christi beneficiorumque meditatione versetur.“ Quae omnia vera sunt; nam ex hymnis Dantisci intelligimus<sup>161</sup>) poenituisse eum errorum atque vitiorum a se commissorum, totam vero spem ac solatium in ecclesia praeceptisque ejus obediendo posuisse. Sunt, qui dicant remissioem fuisse Dantiscum in religione catholica et Augustanae confessioni fauisse<sup>162</sup>). Quod judicium iniquum et falsum est. Viri enim, qui hoc memoriae tradiderunt, ad chronica Piasecii provocantes indicant verba hujus auctoris aut ipsos non legisse aut falso intellexisse. In chronicis enim Pauli Piasecii<sup>163</sup>) haec perscripta sunt: „Titelmanus (Gisius) episcopus Culmensis et postea Varmiensis strictiori familiaritate Erasmo Rotterdamo conjunctus ejus opiniones et dogmata palam celebrabat. Joannes Dantiscus ejus successor (sic!) in utroque illo pontificatu perpetuas amicitias et profanarum litterarum commercia cum praestantioribus scholarum haereticarum magistris habuit.“ His verbis nulla mentio continetur de confessione Augustana; commemorantur tantum familiaritates, quae Dantisco cum clarissimis Germaniae viris fuerunt. E scriptis quidem ipsius Dantisci patet eum usque ad profectam aetatem libere de religione sensisse<sup>161</sup>), sed postea tam studiosum fuisse religionis catholicae, ut doctrinam Lutheri a malo genio profectam esse declararet<sup>165</sup>). Stanislaum a Knobelsdorf etiam atque etiam dehortatur<sup>166</sup>) ne simplicitate scriptorum doctrinae Lutheranae, tanquam veneno sub melle occulto, rapiatur. Atque haec hactenus.

Imaginem Dantisci ad exemplum vetustae tabulae, quae in Bibliotheca Gedanensi asservatur, ita descripsit Boehmius<sup>167</sup>): „Statura atque omnino habitu corporis conspicuus erat, mitida et decora facie, oculis grandioribus ac fulgidis e quibus placidi animi et suavis ingenii signa elucerent.“ Mihi quidem facies quam Boehmius carminibus Dantisci praeposuit, tranquillitatem consilii et dolorem ex peccatorum recollectione conceptum exprimere videtur.

Restat ut de consanguineis Dantisci pauca in medium proferam. Fratres fuerunt ei duo, quorum alteri nomen fuit Bernardo altero Georgio<sup>168</sup>); praeter nomina eorum nihil memoriae proditum est. Sorores habuit tres: quarum alteram in matrimonium duxit quidam Reineckius jureconsultus, cui consilarii in Comitibus a. 1534 habitis mandarunt, ut Jus Culmense in libros et capita distribueret et in toto opere meliorem ordinem introduceret<sup>169</sup>). Ex litteris autem Dantisci ad

Cornelium Duplicium Scepperum datis<sup>170)</sup> intelligimus eum jam sequenti anno mortem obiisse. Altera sororum nupsit cuidam Hanovio, cujus filius a. 1539 Romam ad cognoscenda antiquitatis monumenta se contulit<sup>171)</sup>. Mater Dantisci, quam summo amore prosequabatur, usque ad annum 1536 vixisse videtur. Nam usque ad hoc tempus Scepperus et alii in litteris ex animo sese ei commendant.

Continui labores et negotia publica quibus etiam senex implicitus erat corpus ejus adeo debilitarunt ut sub finem vitae mala valetudine uteretur. Itaque anno millesimo quingentesimo quadragésimo octavo V. Kal. Novembr. sexaginta quattuor annos natus in sinu Knobelsdorffii<sup>172)</sup> supremum diem obiit. Paulo ante mortem epitaphium<sup>173)</sup> ipse sibi scripsit ut sepulcro suo incidetur his verbis orans<sup>174)</sup>:

Post mortem scribi precor hoc epigramma sepulcro  
Quo me posteritas hieque fuisse sciat.



## Annotationes.

- 1) vide prooem. Boehmii p. 7.
- 2) Prussia docta (Gelahrte Preussen) pars III. p. 219, in annotatione ad titulum „Joannes de Curiis Dantisci.“ Seilerus in vita Dantisci pag. 237.
- 3) teste Niesiecki: Herbarz Polski (Liber insignium) Tom. III. pag. 309.
- 4) Hanc rem infra et suo loco accuratius tractabo.
- 5) in prooem. pag. 8.
- 6) In nuptiis Sigismundi I. 1512 et in carmine in laudem Pauli Crosnensis praeceptoris sui scripto.
- 7) cf. epistolam Dreviceii cancell. regii ad Dantiscum in Antiqq. Polon. auctore Grabowski.
- 8) in vita ab ipso scripta v. 13—14.
- 9) ad Ingenuum adoles. v. 181.
- 10) v. Neugebauer Histor. Rer. Polon. Lib. VI. p. 443.
- 11) teste Boehmio prooem. pag. 8.
- 12) Janociana Tom. I. p. 52. ubi inter alia haec legimus: e schola ejus politissimi homines prodierunt: e quibus J. Dantiscus ille excellens poeta et q. s.
- 13) Quod quidem carmen plenum juvenilis fervoris ita incipit:  
Inter ut astriferi radiantia sidera coeli  
Candida noctivagos Cynthia fulget equis:  
Sic inter virtus homines, etc.
- 14) v. Genethliacon J. Dantisci a Casp. Ursino Velio scriptum (in edit. Boehmii pag. 298) v. 33. sqq.
- 15) ibidem v. 36.
- 16) v. ad Ingen. Adol. v. 77 sqq.
- 17) ad Ing. adol. v. 121.
- 18) ibidem v. 134—136.
- 19) Genethl. Ursini Velii v. 53 sqq.

20) Treterus in initio vitae Dantisci. Joannes Campensis in praefat. ad paraphrasim Psalmorum.

21) Ad Ingen. Adol. v. 146, sqq.

Vivere contentus paucis, inglorius annos  
 Ducere, prudenti simplicitate frui;  
 Otia complecti, privatam ducere vitam,  
 Quae foret a quavis ambitione procul:  
 Et cum litterulis commercia rursus habere,...

22) ad Ingen. Adol. v. 155.

23) Ossoliński Wiadomości hist.-kryt. N. p. 59.

24) Lud. Decius de Sigism. I. Regis temporibus. p. 102.

25) Treterus l. l. Ossoliński. l. l.

26) Acta Tomiciana in Appendice Tom. I. p. 31.

27) Acta Tomic. Tom. I. p. 218 et 219.

28) pag. 17. Janociana Tom. I. p. 72.

29) v. Janociana l. modo laudato, ubi memoriae traditum, venisse Eobanum in Prussiam ineunte a. 1510 et brevi cum Epis. Pomesaniensi Cracoviam esse profectum. Erat autem natus E. Hessus p. Ch. a. 1487 quod ex carmine „ad amicum cur vocetur Helius.“ Silvae Lib. I. perspicui potest:

Jam ter quinque ierant a nato secula Christo  
 Annos deme tamen cum tribus inde decem.

Hoc propterea apposui, quod nemo eorum, qui vitam Eobani scripserunt, ut afferam Camerarium et Lossium, id animadvertit.

30) Opera Eob. Hessi Halae Suevorum a. 1539. Silvae Lib. I. p. 198. Ad Joannem Dantiscum Secretarium Regim v. 15—20. Qualia autem carmina fuerint, quae Dantiscus illo tempore scripsit, probari nequit. Hic fortasse Epithalamium Dantisci intelligendum est.

31) Pridie Kal. Martias 1512 carmen in nuptias Sigis. I. in publicum edidit. v. Janoc. Tom. I. p. 72. Colligi igitur inde potest vixisse Eobanum Cracoviae inde ab a. 1511—1513.

32) v. Epist. ad Secret. Reg. J. Dantiscum v. 31—38.

Quod petis ut veniam conviva rogatus, habeto : . . .  
 Principe si demum vacuo spirare licebit  
 Ad coenam venio dulcis amice tuam.

33) cf. Curicke Chronica Gedani Lib. II. c. 21. p. 135. Schütz Chronica Lib. X. fol. 443 et 449. Erleut. Preussen Tom. I p. 245. Prussia docta p. I. pag. 382. Köhler Amoenit. numismat. Tom. XXII. p. 187. Hartknoch Alt- und Neupreussen p. II. cap. VII. p. 590 dicit „J. Dantiscus hatte eine Erbschaft in Dantzig zu fordern“ unde aliquis colligere posset, Dantiscum suam ipsius hereditatem agitasse.

34) Acta Tomiciana Tom. II. p. 237. Credentio ad Conventum Grudecensem ad diem Exaltationis S. Crucis J. Dantisco data Vilnae 30. Augusti.

35) De profectioe Sigism. in Ungariam v. 214—5.

36) v. Neugebauer Hist. Pol. Lib. VII. pag. 468 et 469.

37) Accuratam descriptionem hujus conventus invenies in Jo.



Cuspiniani Diario deinde in Ricardi Bartholini Hodoeporico quae recepta sunt in op. Freheri Germ. Rer. script. Tom. II. pag. 587—672.

38) cf. Carmen de prof. Sig. v. 245—253... Exin

Adpulit Hetrusco Ricardus sanguine cretus ...

Egregius vates, tum notus priinitus, et tunc

Saepius humana mihi consuetudine junctus ....

Caspar et inde meus Callistus forte puellae

Ursinus cognomen habens...

Saepius hic culto certavit carmine mecum.

Praeterea in Freheri Rer. Germ. Script. Ricardi Barth. Hodoepor. p. 627. haec legimus: „Sequentem diem disputando potandoque et festiva Moschorum acroamata auscultando cum Joanne Dantisco viro erudito transegi. Pag. autem 629. ita scribit idem Bartholmus: Hos versiculos cum cecinissem Dantiscum meum conveni etc. Carmen autem quod tum Dantiscus scripsit, est: Profectio Sigis. Regis in Hungariam. Praeterea orationem Joachimi Vadiani nomine Universitatis Vindobonensis ad Sig. habitam carmine Vindobonae a. 1515 edito commendavit. cf. Wiszniewski Hist. Lit. Pol. Tom. V. p. 238.

39) v. Neugeb. Hist. Pol. p. 474. Ludovicus Decius De Sigism. I. Regis temporibus p. 102.

40) cf. Vita v. 23—28.

41) cf. Freheri German. rer. script. edit. Struve Tom. II. pag. 764. ubi inter alios „quibus Caesar contribuit sarta virentia“ Joannes Dantiscus Polonus memoratur. Gravissimum autem argumentum hujus rei exstat apud Niesieckium: Herbarz Polski Tom. III. pag. 309, ubi haec legimus: „Maximilianus laureatum poetam et doctorem Pontificii et Caesarei juris Dantiscum in conventu procerum „publice declaravit, eique annulum aureum et biretum dedit; quin „etiam in numerum nobilium recepit. De qua re documentum in Msto „Petricoviensi, ubi J. D. de Curiis appellatur, legi.“ In eodem codice epistolam Sigismundi Regis Pol. exstare scribit Niesiecki, qua dignitas a Maximiliano Dantisco data comprobatur. Verisimillimum autem est, post reditum in patriam dedisse Sigismundum Dantisco nobilitatem polonicam. cf. Ossoliński l. l. pag. 60. Herbersteinus in epistola a. 1520. 13. Augusti ad Dantiscum data, equitem et doctorem et Regis Pol. secretarium eum vocat. cf. Cod. Bibliothecae Berolinensis, qui mihi benigne missus est. Errant igitur Seilerus l. l. p. 239 et Koehlerus Amoenitt. numism. tom. XXII. p. 288, qui suspicati sunt dignitatem hanc a Dantisco Bononiae sumtam esse.

42) cf. Acta Tomic. Tom. IV. pag. 169. a. 1517.

43) cf. carmen ad Sigism. L. B. ab Herberstein Cracoviae 1518 editum: v. 132:

Ipse ego te rediens etiam paullo ante, saluto

A Bata vis, ubi eram cum Caesare, cumque nepote

Illius, Hesperiae qui regna superba gubernat.

44) cf. Freher. G. r. scr. p. 739.

45) cf. carmen elegiacum ad Grineam.

- 46) cf. Act. Tomic. Tom. IV. pag. 402.
- 47) Zbiór pamiętnik6w o dawnęj Polsce przez Niemcewicza. Lipsk. 1834. tom. II. p. 34.
- 48) cf. Cod. lat. Biblioth. Berol. quo epistolae selectae ad Dantiscum Episc. Varmiensem continentur; recentiore manu inscriptae sunt etiam aliquot epistolae Tomicii ad Dantiscum et Legationes quas Dantiscus inter annum 1521—30 obierat.
- 49) Cod. B. B. prima legatio Dantisco ad Car. V. data sub finem.
- 50) cf. Neugeb. Hist. Pol. Lib. VII. pag. 498. ubi traditum est: arcem Belgradensem a. 1521. 29. Augusti captam esse.
- 51) Vita Dantisci ab. ip. scr. v. 31—36.  
Ad Belgas tandem vectus; permiserat hinc me  
Annis transactis Caesar abire tribus.
- 52) *ibid.* v. 35.  
Quum fessus redii, mora parva dabatur, eundum  
Rursus erat, quo Rex jussit abire meus.  
Neugeb. l. I. Lib. VII. p. 501. Cod. Bibl. Berol. Legatio III. ad Pontificem J. Dantisco data. Zbi6r Pamiętnik6w o dawnęj Polsce p. Niemcewicza t. II. p. 34.
- 53) cf. Cod. Bibl. Berol.
- 54) Zbi6r Pamiętn. o daw. Pol. tom. II. pag. 26.
- 55) *ibidem.*
- 56) Starożytn6ści hist. polskie zebrał Grabowski. Krak. 1840 t. II. Quae epist. Cracoviae a. 1527 2. Martii data est.
- 57) v. Illustrium virorum ad. J. D. etc. epist. selectae Cod. Bibl. Berol. ubi pag. 1. haec leguntur: „Anno 1524 orator apud Caesarem, qui modo in Germania modo in Hispaniis erat. a. 1526 Granatae erat. a. 1527 quando Valladolidi versabatur.“
- 58) v. Neugebauer Hist. Pol. Lib. VII. p. 494.
- 59) Litterae Sigismundi ad J. Dantiscum apud Rom. Pontificem oratorem a. 1525 datae exstant in Jac. Prilusii Statut. Reg. Pol. Lib. V. c. 3. fol. 755. deinde in Hartknochii Historia Eccl. Pruth. Lib. II. p. 275. ubi sub finem haec legimus: De religione vero nihil inter nos actum: tum quia interesse nostra nihil videbatur, tum quod Ordinis institutores non fuerimus: tum vero quod fere in tota ditione prorsus de Religione catholica sit actum et deploratum... proinde si qui istic hos actus nostros in re Pruthenica sugillare vellet, habes, quo innocentiam tueri possis.“
- 60) Vita ab ipso scr. v. 38—43.
- 61) *ibid.* V. 60.
- 62) Starożytn6ści hist. polsk. zeb. Grabowski p. 68.
- 63) cf. Ill. virorum ep. sel. Cod. Bibl. Berol.
- 64) Sine dubio dicit Cornelius Franciscum S (fortiam).
- 65) In Vita Dantisci. l. I. p. 240.
- 66) Dantiscus pro hac dignitate gratiam Carolo referens hoc carmen composuit:



Hanc nigram niveamque mihi Jovis alitis alam  
 Pro meritis Caesar nobile stemma dedit  
 Quod datur ex atavis clarum est, sed clarius omne  
 Quod per se virtus propria ferre solet.

cf. edit. Boeh. p. 131. In ipso nummo, qui exstat in vita Dantisci a Seilero scripta et in Koehleri Amoenit. hist. numism. tom. 22. p. 185. haec verba leguntur: Et. 40. Dantiscus in annis talis in Hesperia posteriore fuit. In parte aversa, qua gentilicia insignia ejus continentur, in orbem haec scripta sunt:

„Has alas gladiumque probet nisi cum sude virtus  
 Nil verae penitus nobilitatis habet. a. 1529.“

Neque silentio praetereunda nobis videntur quae Phil. Camera-rius in Operibus subsc. Francofort. 1658 cent. III. cap. 68 p. 248 et Varsevicius de Legato et legatione (cf. Wiszn. l. l.) memorarunt. „J. Dantiscus (sunt verba Camerarii) Regis Pol. Orator ob eruditionem et ingenii elegantiam in tanta fuit auctoritate apud Car. V. Imp., ut, cum is, resignato Imperio, dimissis omnibus externis legatis ex Belgio in Hispaniam navigasset, eum solum comitem secum duxerit, quem etiam postea maximis honoribus auxit eumque in numerum et ordinem nobilitatis Hispaniae cum toto suo genere et agnatione inseruit. Quod sane, praesertim in illa gente, exteris non admodum in participanda nobilitate benevola rarum et tantum Dantisco exculto bonis literis et moribus ascribendum fuit.“ Eadem fere verba legimus in Varsevicio omissis vocibus „resignato Imperio.“ Cum autem Dantiscus jam a. 1548 mortuus sit, Carolus vero anno 1556 imperio se abdicaverit, manifestum est, Dantiscum illo tempore in Hispaniam proficisci non potuisse. Hoc igitur iter ad aliud tempus referendum est. Potest autem esse annus 1522 (cf. Struve Corp. Hist. Germ. t. II. p. 1010) quo Carolus Brugis terrestri itinere Caletum profectus magno cum honore a Legatis Henrici VIII. exceptus est. Deinde in Angliam se contulit ubi mense uno peracto navem solvit et ad littus Asturiae appulit. Verisimile igitur est Dantiscum illo tempore cum Carolo in Britannia fuisse atque in Hispaniam navigasse. Praeterea videntur verba, quae legimus in Carmine ad Ing. Adol. v. 177. „Vidimus a nostro divisos orbe Britannos“ opinionem nostram comprobare. Equidem igitur facile adducor, ut credam et Camerarium et Varsevicius vera de hac re memoriae tradidisse. Legimus enim (Prussia docta T. II. p. 220) inditum fuisse Dantisco titulum „Sacri Romani Imperii Principis, unde facile colligere possumus Dantisco una cum hac dignitate etiam nobilitatem Hispanicam datam esse.

67) cf. edit. Boehmii p. 163.

68) vita ab ipso scripta v. 41.

69) cf. Heuterus lib. X. rer. austr. cap. V. p. 257.

70) cf. epistolas horum virorum ad Dantiscum datas quae Cod.

Bibl. Berol. continentur. <http://rcin.org.pl>

71) cf. dedic. silvarum Eobani Hessi. Epicedion in funere Mercurini Gattinariae scriptum v. 2—5.

72) cf. epistolas Phil. Melanchthonis a Peucero editas lib. III. p. 114; Janoc. T. I. p. 72 „Augustae Vindelicorum ac Ratisbonae in publicis imperii comitiis Dantiscum suum missum a Sigismundo rege ad Caesarem Carolum V. salutavit (sc. Hesus).“

73) cf. epistolam Petri Tomicii ad Joannem Dantiscum ipsiusque Sigism. regis 1530 5 Maii Cracov. datam. Cod. Bibl. Berol.

74) cf. epistolam Eobani Hessi 1530 4. Maii ad Dant. dat. ubi haec legimus:

„et quia Te scribis regis pietate Poloni  
visurum patriae regna beata Tuae.“

75) Neugeb. hist. Pol. lib. VII. p. 526 „de novo Prussiae magistro, ne quid detrimenti resp. Polona propter Prussiae mutationem acciperet mandatum est Joan. Dantisco Sigism. regis oratori in aula Augusti, ut ibi negotium satagaret.“

76) cf. epistolam Sig. Reg. 1530 5. Maii Cracoviae datam, in Cod. Bibl. Berol.

77) cf. praefationem Cod. Berol.

78) teste Loraltio qui Basia et I. lib. eleg. Joanni II. edidit.

79) cf. praef. Cod. Bibl. Berol.

80) Qui libellus in Simonis Schardi script. rer. Germ. tom. II. p. 1275 invenitur.

81) cf. Cod. Bibl. Berol.

82) Neugeb. hist. Pol. lib. VII. pag. 527. Hartknoch Alt- und Neupreussen 2. Thl. cap. 2. pag. 329. Koehler Amoenit. hist. numism. tom. XXII. pag. 188. Seiler in vita Dantisci pag. 239.

83) Hic libellus teste Boehmio prooem. pag. 15 ita inscriptus est: Defensio Alberti Ducis contra citationem ab Imperio factam, Ratisbonae in Comitiis anno millesimo quingentesimo tricesimo secundo exhibita.“

84) cf. vitam ab ipso scr. v. 51—53.

„Sic per bis senos Orator Regius annos  
Missus in Hispana ter regione fui.“

85) ibid. v. 55—70.

86) cf. praef. Cod. Bibl. Berol. ubi legitur „1532 mense Augusto Cracoviam rediit.“ cf. epistolam Valdesii a. 1532 8. Aug. ad Dant. dat. Cod. Bibl. Berol.

87) cf. Lengnichi Hist. Pruss. pag. 156; 158; 165; 166 etc.

88) Grabowski Star. hist. pol. tom. II. p. 72. ubi exstat epistola Petri Tomicii Episcopi Cracoviensis a. 1532 22. Decem. ad Dant. dat. In eadem ep. haec quoque legimus: „Breve Roma Tibi advenit; fac igitur venias Petricoviam ubi te consecrabo et omnia quae opus sunt parabo.“

89) cf. Lengnichi Hist. documenta. p. 141. ubi Ordines absentiam Dantisci excusantes ad Regem scribunt: „Reverendiss. Domino



Culmensi propter minas ipsius St. Kostka convenire suspectissimum eidemque Rev. Patri parum tutum fuisse.“

90) *ibid.* pag. 143.

91) *ibid.* p. 144.

92) *ibid.* p. 146. „Neque satis mirari possumus (sunt verba Consiliariorum) Dom. Thesaurarium Kostkam.... talia manifeste a veritate aliena comminisci haec non puduisse vel scribere et quidem adversus tam bonae existimationis et dignitatis praelatum et Regium consiliarium et praesidem harum Terrarum Regii Consilii.“

93) *ibid.* docum. p. 147.

94) *cf.* Leng. Hist. p. 158; docum. pag. 161. Hist. p. 163, 169, 172.

95) *ibid.* Hist. pag. 158. Huc referenda est sine dubio epistola Cornelii Duplicii Scepperi a. 1535 16. Septemb. Brugis ad Dantiscum data (v. Cod. Bibl. Berol.) cujus gravissimus locus hic est: „Quem enim nostri generis et in aula versatum latent merita Tua? Quis diligentiam et industriam Tuam quam in rem ingratae<sup>1)</sup> impendisti, ignorat? Sane utcumque alii ista interpretentur, ego illi ex animo favere non possum, etiamsi majus<sup>2)</sup> esset quod de inaudito tam facile protulerit. Deferuntur quidem subinde boni viri: at contra illos non nisi a malis creditur. Tu vero pie fecisti, qui cum fruaris optima conscientia, tam facilis fuisti ad ignoscendum, ut ne recorderis quidem eorum quae adversum Te isti<sup>3)</sup>. Iudex non deerit illis in tempore Christus, qui modestiam istam Tuam non ita patietur vanescere. Interea non est, quod de illius<sup>4)</sup> in Te benignitate diffidas. Conspirent illi adversus innocentem: at illum magis tuebitur sua innocentia quam quivis Ajacis clipeus.... Venisti ad stadium, neque opus est, ut Tibi amplius nomen diligentis et industrii pares. Fides, industria, diligentia Tua in aperto. Illis versandum est in hujusmodi muniis (sc. legationibus) qui famam et gratiam venantur. Tibi abunde haec adsunt omnia, immo ipse, quod magis duco, famae et gratiae ob saturitatem contentus. Quiesce itaque si potes. Prodesse reipublicae etiam seditarius potes.“

<sup>1)</sup> Boehmius in proemio pag. 19. aulae ingratae. — <sup>2)</sup> B. etiam si solum esset quod Te. — <sup>3)</sup> B. habuisti; male; supplendum enim aut „dixerunt“ aut „fecerunt.“ — <sup>4)</sup> B. Caesaris! Boehmius epistola hac non intellecta multa temere mutavit et colligere ex ea voluit, inesse ei causas susceptae denuo a Dantisco legationis. „Velut in tran- „quillum (inquit. B. pro. p. 18) portum relatus, haud diu post idem „hoc ingens iterare aequor coactus est. Cujus rei causas licet ex „Corn. Dupl. Scepp. litteris 1535 scriptis non obscure perspicere.“ Equidem historia Lengnichii atque documentis edoctus sum Dantiscum omnibus Comitibus inde ab anno 1532 usque ad a. 1536 interfuisse, neque ullam inveni mentionem, Dantiscum legatum per hoc tempus missum esse. Erravit deinde Boehmius iudicans, timuisse Dantiscum

ne gratia Caesaris privaretur. Quo errore ductus vocem „illius“ in „Caesaris“ mutavit. Significari autem voce „illius“ Sigismundum Regem non Carolum V. his quae modo exposuimus manifestum est. Huc referri quoque potest epistola Dantisci (v. Grabowski l. l. p. 70) ad Cornelium Lubaviae a. 1535 23. Decemb. data, qua eum certiore facit „calumniatores et delatores suos dedecore affectos, sese vero ut antea Regi et Reginae gratiosum esse.“

96) Grabowski Star. hist. pol. Tom. II. p. 74. Epist. haec data est Gnesnae a. 1537, 18. Aprilis.

97) v. Grabowski l. l. p. 73. Epistola Petri Tomicii ad Dantiscum scripta a. 1538 15. Junii.

98) ibid.

99) cf. Leng. Hist. pag. 171 doc. pag. 182.

100) v. Lengnich Hist. Prussiae pag. 172.

101) Haec privilegia inveniuntur in Lengnich Hist. Pr. et quidem in documentis pag. 170 et 171. Atque privilegium huc pertinens hoc est: „Dignitates et officia hactenus illic consistentia et in posterum constituenda. Item castra et tenutas civitatum et locorum in terris praedictis nulli extraneo aut forensi, sed proprio indigenae juxta observationem aliarum terrarum Regni nostri conferemus.“ Quod privilegium a Casimiro rege a. 1456 civitatibus Prussiae datum saepe Sigismundus I. violavit praefecturas castrorum et oppidorum Polonis tribuens. cf. Leng. docum. pag. 203 et 204.

102) v. Hist. Pruss. pag. 165.

103) v. Leng. docum. pag. 180. magno dolore affectus eo tempore petitio ordinis nobilium, qui per litteras rogavit Regem ut sanciret lege „qua non nisi nobilibus majores in ecclesia magistratus liceret appetere,“ non contravenit (sunt verba petitionis) quidem Nobilitas, quominus Reverendiss. Dom. Dantiscus Culmensis episcopus promoveatur aliquando ad episcopatum Varmiensem, quippe quae Dominationem suam Reverendiss. ob eximias dotes ipsius dignam esse censet, ad quam deferatur tanti sacerdotii dignitas, verum hoc solum cupidissime optat ut per vacationem suffragiisque omnium ... non autem per coadjutoriae saltum fieret.

104) cf. litteras Joannis de Weze Archiepisc. Lundensis (Cod. Bibl. Berol.) a. 1538 6. Februarii ad Dantiscum datas, ubi praeter alia haec legimus: „Si igitur animus est Reverendissimae D. V. ad hoc fastigium assurgere admoneat me per litteras; majestas enim Caesarea omnia ea facere clementer curabit, quae pro ornamento dignitatis et amplitudinis Rev. D. V. esse videbuntur.“

105) v. prooem. p. 24.

106) Leng. Hist. Pr. pag. 201. docum. pag. 205. deinde Cod. Bibl. Berol. ubi legatio et instructio J. Dantisco data legitur.

107) cf. Epistolam ad Ferdinandum Rom. Regem in Cod. Illustr. vir. etc. „Quod si vero nulla ratione licitum erit Mti Vrae paulo plus



temporis Vratislaviae ponere, dedimus illis negotium, ut eam, quocunque fuerit profecta comitentur;“ praeterea timebat Sigismundus „ne oratores a praedonibus in Silesia aliquid detrimenti caperent.“

108) Lengn. Hist. Pr. pag. 244.

109) cf. Hist. Pruss. pag. 211; 280; 281; 287; 290.

110) Lengnich Hist. Pr. docum. pag. 224; 249.

111) Leng. Hist. p. 217.

112) cf. carm. ad Ing. adol. v. 65:

„horresco memorans aetatis tempora primae.....

„aula, lues hominum, sentinaeque larga malorum

„me docuit, pudor hic quae reticere jubet.“

Deinde cf. *ibid.* v. 635—730. v. 863:

„namque voluptati, virtutis calle relicta,

„indulgens, factus sum tibi saepe reus.“

Praeterea cf. *ibid.* v. 867—875. v. 1033.

113) cf. edit. Boehmii pag 54.

114) cf. Wiszniewski hist. lit. pol. tom. VI. p. 239.

115) Epist. Ill. VV. in Cod. Bibl. Berol. Epist. Corn. Scepperi ex Oeniponte a. 1533 23. Jan.

116) *Ibid.* „De re mihi commissa de Ysope et Johannica praesens nihil potui efficere neque fui Vallidoleti; sed per Velseros omnia fient.“

117) *Ibid.* „Negotium ad conjugem meam perscripsi de Johannica tua ad Franciscum Verner mittenda Antverpianam satis in praecedentibus scripsi.“

118) cf. epist. Scepperi ex Oeniponte 25. Jan. 1533. Deinde epist. Scepp. 16. Sept. 1533, ubi haec legimus: „Non dubito tamen, quin Fabianus tuus de Ysope tua disposuerit; si contingeret ad hoc littus appellere filiam tuam, ego illam ut meam tractarem; itidem faceret uxor mea, quae absente me non omisit ad Foccharos et Velseros mittere rescitum, num advenisset.“

119) Grabowski, l. l. epist. Erii Gotscalcii ad Dant. e Vindobona 22. Martii.

120) Grabowski. l. l. Epistolam Isabellae del Gada Valladol. 10. Junii ad Dantiscum datam.

121) cf. Grabowski Star. hist. pol. Tom. II. p. 74. ubi epistola (I. G. Albertae Vallad. a. 1537 mense Martio ad Dantiscum data) hanc rem spectans legitur.

122) cf. Wiszniewski l. l. pag. 240. Epistola I. Gr. Albertae Madriti a. 1546 3. Junii ad Dant. data.

123) v. Ill. VV. epist. ad Dant. Cod. Bibl. Berol. epist. Joh. Lundensis a. 1538 6. Februarii, ubi sub finem haec scripta sunt: Vallisoleti venit ad me una cum marito et matre honestissima illa Johanna Dantisca de Curiis D. V. Reverendissimae notissima, quae ubi cognovit, conjunctionem arcissimam inter me et Revmam D. V. intercedere, una cum dictis marito et matre enixe me rogavit ut se Revmae D. V. affectuosius commendarem, efficacemque, ut cum non habeant

unde commode et cum decore quodam vivant, quo R. D. V. tam marito quam praedictae Joannae Dantiscae succurreret.... Dantisca sane formosa est et non minus culta moribus, sicut ex pictura, quae eam plane refert, licet deprehendere.“

124) v. Ill. VV. ep. l. l. Litterae Scepperi Brugis 1535 16. Sept. ad Dantiscum datae manifesto hujus rei sunt documento: Lyncken (inquit Scepp.) Bruxellensis quam nosti frequenter ex me sciscitatur de valetudine Tua, aitque se ad Te scripsisse; cuperet sibi responderi. Scribe ad miseram et illam consolare et mitte ad me litteras et quid factum voles, significa.“

125) v. Carm. ad Ing. Adol. v. 873—875; 890—893.

126) v. Ill. VV. ep. in Cod. Bibl. Berol.

127) ibid. epist. Scepp. ex Vindobona a. 1533 8. Martii: „Si non potes per chiragram, jube Campensi aut alicui alteri etc.“

128) Janociana Tom I. n. 58 p. 147.

129) v. Carmen ad Ingenium Adol. Alliopagum jam saepe laudatum.

130) cf. Janoc. Tom. I. pag. 14.

131) cf. ejus epistolam (Wiszniewski H. L. P. tom. VI. p. 318) ad Dantiscum Roma a. 1537 10. Aprilis missam, qua maecenati suo summas refert gratias.

132) cf. Camerarii narrationem de Eobano Hesso. fol. 18. Janoc. Vol. I. pag. 72; praef. Lib. I. Silvarum H. E. Hessi Halae Suevorum ed. Norimbergae a. 1533 Dantisco dicat. ubi haec legimus: „qui cum semper sis de me optime ac magnifice meritis etc... sed inter alios omnes patronos et amicos meos principem locum tenes.“

133) cf. epistolam J. Campensis Norimbergae 4. Maii 1532 datam ubi haec ad Dantiscum scribit: „Nos hinc Eobanus et ego ad Te proficiscemur perindie“; deinde epistolam Eobani 1532 1. Aug. ad Joannem Groningum (Epistolae Eob. a Camerario coll. fol. 258) ita se excusantis: „scito a Tuo abitu Ratisponae me quattuor hebdomadas substitisse, retinente et nectente semper morarum causas J. Dantisco.“

134) cf. epist. Eobani ad Jo. Camerarium l. l. p. 153 ubi inter alia haec scripta invenimus: „Apparatur convivium opipare jubente et curante Satrapa Regni. Advenit enim modo, si nescis, Dantiseus, qui mecum esse vult, et deponere interea praesulis personam. Ille igitur tantus hospes intrare angustas non dedignabitur aedes, Regalemque hilari fronte subire casam etc.“

135) cf. poemata Dantisci a Boehmio ed. pag. 35.

136) cf. carmen Dantisci de profectione Sig. I. R. P. in Hung. v. 247.

137) ibid. v. 251.

138) Obiit autem mortem M. Gattinaria Oeniponte 1530. cf. Sleidanus Comm. de statu relig. et reip. sub Carolo V. Lib. I. et VII.

139) cf. Epiced. in funere Merc. Gatt. in E. Hessi operum farragine pag. 311. Jo. Secundi Funerum Lib. p. 110.



140) in vita. v. 87.

141) Ill. VV, epist. Cod. Bibl. Berol. Epistola Scepperi Vindob. a. 1533 18. Martii ad Dant. dat. „J. Lundensis se ex animo Tibi commendat offertque servitia sua tum intuitu veteris consuetudinis tum quod fateatur se plurimum debere Tibi.“

142) Equidem unum tantum hic afferam quod exstat in ep. Vindob. a. 1533 27. Martii data (cf. Ill. VV. ep. Cod. Bibl. Ber. quo omnes Scepperi epistolae continentur). „Nolo tamen diffiteri, ad neminem me libentius venturum esse, quam ad Te, si casus aliquis acerbior ingrueret.“

143) cf. Des. Rott. op. omnia Lugd. [Bat. 1706 in fol. ed. tom. III. pars posterior pag. 1436. p. 1479.

144) cf. opera modo laudata. tom. VIII. pag. 490. Quanti Rotterdamus Dantiscum fecerit ex epistola, quam una cum hoc opere eum misit, colligi potest. Sub finem enim praefationis ejus ita se apud Dantiscum excusat: „Non ignorabam quid te dignum esset, vir clarissime, sed imitatus Graeculum illum, e paupere pera depromo paucos obolos οὐ κατὰ ἀξίαν σοῦ ὧ σεβιστὲ, εἰ γὰρ πλέον εἶχον, πλέον ἐδίδων.

145) cf. Ill. VV. ep. ad Dantiscum scr. quae in Cod. Bibl. Ber. leguntur. Adami in Vitis Germ. Vol. I. pag. 115.

146) Gassendus in vita Copernici.

147) v. Janoc. Tom. I. pag. 238. Hendecasyllabos Dantisci ad Sabinum 1546 scriptos v. 32. Sabini epistolam secundam.

148) Camerarius in narrat. de E. Hesso pag. 18.

149) cf. Hend. ad Sabinum epist. 2.

150) Zbiór pamiętników o dawněj Polsce p. Niemcewicza tom. IV. p. 28; 31; 48 etc.

151) cf. epist. Valdesii.

152) cf. Cod. Bibl. Berol. epist. Eobani Hessi a. 1533 23. Jan.

153) V. carm. ad Ing. adol. v. 1099.

154) Ibid. v. 1059 etc.

155) cf. epist. Ursini Velii edit. Boehm. pag. 304. Epist. Eob. Hessi (edit. Boehmii) v. 25—31.

156) V. praef. quam praemisit interpretationi psalmorum.

157) cf. praefat. S. Basilii l. I.

158) cf. edit. Boehmii pag. 329.

159) Ad Ing. adol. v. 225, v. 1025, v. 1032. Ad pium lectorem init. strophae 2dae.

160) V. praef. hymn. edit. Boehmii pag. 182.

161) cf. hymn. de Matre Ecclesia. —

162) cf. Charitus comment. hist.-litter. de viris erud. Gedani ortis. Hartknoch hist. eccl. Pruss. lib. VI. pag. 157 et 1043. Prussia docta pars IV. sectio I. num. II. pag. 30.

163) Pauli Piasecii gest. in Europa sing. chronica. Cracoviae 1645 pag. 49.

- 164) Ad Ing. adol. praef. v. 9; ib. v. 890—900.  
 165) Ibid. v. 1162; deinde carm. ad pium lectorem v. 290.  
 166) ad Ing. Adol. v. 317.  
 167) v. prooem. pag. 36.  
 168) cf. epistol. E. Hessi Norimb. a. 1533 23. Jan. „Saluta mihi amantissimos tuos fratres germanos Georgium et Bernardum viros optimos et mihi carissimos.“  
 169) Leng. Hist. Prussiae pag. 153.  
 170) Starożytn. hist.-pol. zeb. Grabowski t. II. pag. 70. ad Corn. Scepperum Lubaviae 23. Decemb. 1535.  
 171) Ill. VV. ep. etc. Epist. Joannis Arch. Upsalensis a. 1539 13. Julii ex Patriarchatu Venetiarum data. Veniens ad me in praeterito mense Junio optimae spei adolescens Casparus Hannovius, attulit mihi gratiosissimas litteras R. D. V. Commendavi eum amicis Romae commorantibus... nec dubito, quin post paucos annos recipiat eum R. D. V. in rebus Romanis doctiorem quam sint, vel fuerint omnes coaetanei: videtur enim doctiss. avunculi sui ingenio non ignaviter responsurus.“  
 172) Janoc. Tom. I. pag. 147.  
 173) cf. edit. Boehmii pag. 177.  
 174) cf. vit. ab ipso scr. v. 189.
-



## Pars II.

Praemissa jam vita Joannis Dantisci atque adumbratis moribus ejus, reliquum est, ut in secunda dissertationis parte de carminibus ejus disseram. Priusquam autem ad singula carminum genera aggrediar, primum ea, quae omnino scripsit, commemorabo, deinde de poesi ejus in universum pauca in medium proferam.

Atque carmina J. Dantisci variis in locis in publicum edita fere delituerant, nisi duo viri nobiles et clari, alter Stanislaus Hosius episcopus Varmiensis, alter Josephus Andreas e Załusciis comitibus, episcopus Kioviensis, operam dedissent, ut posteritati novam editionem traderent. Hosius quidem vivo etiamtum Dantisco praeter carmen paraeneticum ad Ingenuum adolescentem Alliopagum etiam hymnos ejus Cracoviae excudendos curavit. Neque vero acquievit his de amico suo meritis, sed omnibus carminibus ex autographo elegantissime descriptis comiti Załuski misit; quem quidem carmina Dantisci jam editurum, Joannes Gottl. Boehmius historiae in universitate Lipsiensi professor rogavit ut sibi hoc opus perficiendum committeret. Atque comes precibus Boehmii indulgens non modo codicem poematum sed etiam singula plurium carminum exempla ei transmisit. Quo facto Boehmius omnia carmina, quae ei in manus venerant, Vratislaviae a. 1764 apud Ge. Gottl. Hornium formis describenda curavit. Quorum quidem ordo hic est:

1. Epithalamium in nuptiis Sigismundi I. Reg. Poloniae et illustriss. princ. Barbarae e Comitibus Scepusiens. <sup>1)</sup>

2. Ad inclitum Sigismundum I. R. Poloniae deprecatio. <sup>2)</sup>

3. De Sigismundi I. Reg. Poloniae victoria contra Moscos silvula.

4. De profectioe Sigismundi I. Reg. Poloniae post victoriam contra Moscos in Hungariam silva.

5. Ad Sigismundum L. B. ab Herberstein equ. aur. et Maximiliani I. Caes. legatum de reversione ejus a Moscis soteria.

6. In Ricardi Bartholini Hodoeporicon Matthaei episc. Gurcensis.

7. Ad Ricardum Bartholinum.

8. Ad Sigismundum L. B. ab Herberstein equitem auratum carmen elegiacum ad Grinaeam.

9. In laudem M. Pauli Crosnensis Rutheni praeceptoris sui ad Jo. Lubrantium episc. Posn.

10. De nostrorum temporum calamitatibus silva.

11. Ad ingenuum adolescentem Constantem Alliopagum carmen paraeneticum.

12. Ad juvenes seculi hujus.

13. Jonas Propheta.

14. Epigramma de procrastinata audientia apud Carolum V. Caesarem.

15. Quatuor epitaphia Mercurini Gattinariae Caroli V. aug. supr. cancell.

16. Duo epitaphia Petri Tomicii episc. Cracoviensis.

17. Hendecasyllabi ad Georgium Sabinum acad. Regionont. rectorem.

18. Laus vini. Encomium cerevisiae.

19. Quinque epigrammata, quorum ultimum in Sigismundum Regem, Bonam reginam filiumque eorum Sigismundum Augustum scriptum est.

20. Epitaphium Sigismundi I. Reg. Poloniae.

21. De insignibus suis a Carolo V. Caes. impetratis.

22. In effigiem suam depictam in Hispania.

23. Vita Joannis Dantisci ab ipso paullo ante obitum perscripta.

24. Joannis Dantisci epitaphium ab ipso scriptum paullo ante mortem.

25. Joannis de Curiis Dantisci Liber Hymnorum.

Praeterea scripsit Dantiscus:

1. Epigramma, quod exstat in initio Psalmorum omnium etc. Joannis Campensis.

2. De virtutis et honoris differentia Somnium M. Dreviceo episcopo Premisliensi Cracoviae 1510 dedicatum. <sup>3)</sup>

3. J. Dantisci Regii scribae carmen elegiacum, quod legitur ante Vadiani orationem ad Sigism. I. Vindobonae habitam. <sup>4)</sup>

4. Dantisci Praesulis Varmiensis elegia invectiva contra gentem Judaicam, exstat in opere Szleskowski polonice contra Judaeos scripto. <sup>5)</sup>

5. Hymeneus J. Dantisci in Nuptiis Sigis. I. Reg. Pol. et Bonae Sfortiae Princ. Mediolanensis ducisque Barenis. <sup>6)</sup>

6. In exercitum Germanicum Polonos fugientem, quod carmen exstat in Act. Tom. V. p. 345.

Ex genethliaco Jo. Dantisci a C. U. Velio scripto <sup>7)</sup> apparet scripsisse Dantiscum multa carmina amatoria et elegiaca; aliter enim verba haec:

Prima tuos ignes recitabuut ludicra: toto

Prospera versiculis tuiet in orbe tuis

Tristia post laetos vulgabis carmina versus.



intelligi non possunt. Deinde ex ultima epistola Dantisci ad G. Sabinum data<sup>9)</sup> perspicimus, composuisse Dantiscum carmen „Lucretia“ inscriptum, quod Sabinum, ne ingratus videretur, misit additis his verbis:

Ingratus tamen esse nolo totus:  
 Si Lucretia nostra non placebit,  
 Quam mitto, veniam dabis: placere  
 Quod possit tibi forte deinde mittam.

Denique e litteris Copernici ad Dantiscum missis<sup>9)</sup> manifestum est scripsisse eum carmen in egreium opus Copernici:

„De motibus orbium coelestium.“ „Accepi enim (inquit Copernicus) Tuas litteras plenas favoris et humanitatis quibus adjunxisti carmen ad lectores libri mei; agnosco praestantiam hujus carminis et persuasum habeo profectum esse ex gratia, qua litteris deditos ornare soles.“

Prosa oratione scripsit libellum: De Victoria Serenissimi Principis et D. D. Sigismundi I. Regis Poloniae contra Vayvodam Muldaviae etc. Bruxellis in Curia Caesareae Maj. 24. Sept. a. 1531.<sup>10)</sup>

Thomas Treterus<sup>11)</sup> memorat scripsisse Dantiscum narrationem tam diuturnae legationis suae et satis magno volumine Petro Tomicio transmisisse. Idem testatur Hilarius Bartelephus Ledaeus in praefatione Epitaphiis Mercurini Gattinariae praemissa:<sup>12)</sup> „Solemne (inquit) atque usitatum Dantisco erat, ut sive otiosus, sive negotiosus, priusquam dormitum iret, non solum totius diei acta, Pythagoraeorum more, studiose animo repeteret ac recenseret, sed etiam vel visa accurate, vel cogitata prudenter quotidie in diario suo perscriberet.“ Epistolarum ejus magna pars bibliothecis asservatur, paucae in publicum editae sunt.<sup>12)</sup> Mirum tamen est, quod epistolae ejus ad Erasmus Rotterdamum atque ad Eobanum Hessum totque clarissimos viros datae nusquam inveniantur. Equidem hoc aenigma solvere non possum. Atque haec haecenus. Nunc ad argumentum poësis Dantisci transeamus. Primum genus carminum Dantisci versatur in laudandis virtutibus tum principis reipublicae, tum praestantissimorum Maximiliani Caesaris aulicorum, quorum gratiam aut amicitiam sibi erat comparaturus. Atque fuerunt illis temporibus egregia facta, quae uberrimam materiam ad carmina componenda Dantisco suppeditabant. Bella enim, quae Sigismundus I. cum Moscis, Tartaris et Vallachis gerebat, Polonis gloriam, hostibus damna parabant. Non mirum igitur est, quod Dantiscus, quemadmodum omnes illius aevi poëtae faciebant, virtutem principis sui laudibus efferebat eumque quodammodo in sinu

gestabat. Principibus gratum erat a poëtis celebrari, poëtae autem libenter id faciebant ad gratiam sibi conciliandam. Itaque versatur Dantiscus in laudibus Sigismundi regis, in virtutibus Herbersteinii et Ricardi Bartholini, quorum auctoritas in aula Maximiliani summa erat. Nulla tamen adulatio, nulla timiditas in his carminibus conspicitur. Ingenium enim Dantisci sic a natura factum erat, ut ab assentationibus et blanditiis semper abhorreret. Neque alias virtutes principum aut amicorum suorum nisi veras adumbrabat. Idem apparet in carmine de „nostrorum temporum calamitatibus,“ quo saluti totius Europae consulturus laudes Caroli V. et Clementis VII. praedicat eosque cohortatur, ut compositis intestinis discordiis vires opesque contra Turcas jungant. Altero severiori carminum genere veluti „ad ingenuum adolescentem“ optima praecepta vivendi tradit, ac plenus magnarum rerum contemplatione omnia humana contemnit; fortunae inconstantiam accusat; modo saeculi vitia et laevitatem mutandae religionis persequitur,<sup>13)</sup> modo laborem, diligentiam et virtutem commendat.<sup>14)</sup> Vitam humanam beneficiis augendam esse contendit, cum mortuos nihil bonorum nisi bene facta et male facta sequantur.<sup>15)</sup> Veram gloriam non nisi e doctrina litteris colendis et perfecta virtute sequi docet. Dantiscus, qui per viginti annos vitam publicam, ut ita dicam, vixit, qui tam longum temporis spatium in aulis principum cum diversissimi ingenii hominibus commoratus est, non modo mores, studia et virtutes, verum etiam cupiditates et vitia omnis generis cognovit; quae quidem omnia in carmine „ad ingenuum adolescentem“ complexus, juvenes suae aetatis cohortatur, ut virtutem colant et litterarum studiis incumbant; consilium autem, quod sub finem ejusdem carminis Eustachio Knobelsdorffo dedit, dignum est, ut hic afferatur.<sup>16)</sup>

„Sicut apes, quum vere favos reparant sibi, flores

„Non tangunt hos, qui toxica ferre solent:

„Nec de mortifera letales smilace succos;

„Ex dulci capiunt sed sua mella thymo.

„Elige sicque bonos auctores, unde legendo

„Relligionis amans doctior esse queas.

„Ex spinisque tuos pungentibus undique sensus

„Fragrantes cauta collige mente rosas.“

Redeo ad carmen de „nostrorum temporum calamitatibus.“ In hoc imagines Caroli V. et Clementis VII. apparent graves et grandes; eorum enim erat libertatem et tranquillitatem toti Europae parare. Toto autem carmine regnat magna facilitas et simplicitas. Sententiae et cogitationes, quae hoc carmine continentur, sunt magnae et subli-



mes; poëta enim non complectitur unam gentem. sed tanquam vates divino spiritu inflatus calamitatem omnibus civitatibus Christianis independentem praedicit.

In epitaphiis aut amicorum aut fautorum suorum vitam laudibus prosequitur. In epigrammatis inimicorum suorum invidiam perstringit. In universum autem animadvertendum est vim poësis Dantisci majorem et graviorem esse in satira quam in heroicis. Hoc maxime ex carmine „Jonas propheta“ inscripto intelligitur; hoc enim in superbiam, luxuriam et studium mutandae religionis Gedanensium tam mordaciter invehitur, ut jure cum Juvenali comparari possit.

In hymnis tractat Dantiscus tum beneficia, quibus Deus homines affectit, tum injurias et opprobria quae Christus ante mortem a Judaeis perpressus est. In plurimis autem preces fundit imploratque Deum, ut sibi errores et vitia in juventute commissa ignoscat.<sup>17)</sup> Ex iisdem apparet, quanto amore et pietate sub finem vitae Christum et sanctam virginem, matrem ejus, coluerit; hostes enim sanctae virginis, qui abjecto omni pudore non modo aliis mulieribus parem eam esse affirmabant, verum etiam probris et maledictis vexare audebant, vehementissime vituperabat.<sup>18)</sup> Imitatus est autem Dantiscus in his hymnis, ut ipse professus est,<sup>19)</sup> Prudentium; in multis tamen eo inferior est. Si enim hymnos Dantisci accurate et diligenter consideraverimus, inveniemus in iis facilitatem ingenii, quae virtus in omnibus carminibus ejus apparet, desiderabimus vero illam sublimitatem animi illumque impetum, qui in hymnis Prudentii, Sarbievii aliorumque poetarum elucet. Ipse Dantiscus sentiens inveniri in hymnis ejus multa, quae indulgentiam lectoris requirant, excusat se his verbis:<sup>20)</sup>

Non novem sororibus,  
Apollini nec hos paramus hymnos.

Inveniuntur tamen in iis loci, qui cum summo oblectamento leguntur, veluti in hymno de gloriosa resurrectione Christi,<sup>21)</sup> ubi verrediens adambaturus his verbis:

Coelum serenum laetius emicat,  
Lucemque Titan auricomus suam  
Jam protulit ferventiorum,  
Cum nivibus glaciem resolvens;

Ridens apricus nunc ager exhibet  
Quae seminavit villicus accola:  
Herbas humus floresque promit,  
Germinebus variis virescens.

Ridentque montes, prataque vallibus  
 Adjuncta fontes cum prope rivulis  
 Amnes, lacus; et quidquid undis  
 Vivit, in hoc modo vere ridet.

Gaudere jucundis homines modis  
 Debemus et nos, dulce melos simul  
 Nunc annuo laetis sonare  
 Vocibus hoc canitur quod usu.

Quos versus legentibus facile in mentem veniet descriptio redeuntis veris, quae reperitur apud Horatium<sup>22)</sup>. Uterque autem eorum dum nobis veris reditum ante oculos ponit, longe alio spectat; poëta enim Venusinus in utroque carmine amicos suos, in altero Sextium in altero Torquatam, monet, ut vitae brevitatis et moriendii necessitatis memores, vitae bonis, jucunditate et voluptatibus perfruantur. Dantiscus vero opinionibus vere Christianis fultus dum prata et agros, montes et silvas redeunte vere perambulat, ubivis vestigia Dei aeterni videt et vi coelestis amoris captus gloriam et beneficia Dei, quantum potest, celebrat. Invenies igitur etiam in hymnis Dantisci sententias gravissimas, quibus Numen divinum et immensum adumbrans altius assurgit.<sup>23)</sup>

Si singula carmina Dantisci diligentius examinare velis, plura invenies in quibus poeta claudicet; cum autem vel optimi poëtae non liberi sint ab omnibus vitiis, neque quisquam poesis virtutibus adeo excelsat, ut carmina ejus omnibus numeris sint perfecta et absoluta, eo magis venia Dantisco danda est, qui tam raro otiosus esset. Quamquam quanto oblectamento animi poesis ei fuerit, vel ex documentis, quae ad nos pervenerunt, perspicui potest. Ubi enim quid otii ei dabatur, animi a gravioribus curis et molestis negotiis relaxandi causa ad jucunda musarum vireta se conferebat, quas usque ad summam aetatem in deliciis habuit. Antiquitatum cum Graecarum tum Romanarum adeo peritus fuisse videtur, ut omnia, quae in auctoribus aut Graecis aut Latinis legisset, in componendis carminibus prompta et parata haberet. Carmina ejus heroica<sup>24)</sup> referta sunt fabulis ex Homero, Sophocle, Virgilio et Ovidio depromptis. Inde facile intelligitur Dantiscum cum alios Graecorum et Romanorum auctores tum praecipue Virgilium et Ovidium diligentissime tractasse.

Cum igitur argumentum carminum et indolem poeticam Dantisci cognitam habeamus, videntur nobis nunc est, quemadmodum viri doctissimi de eo judicaverint quantique carmina ejus aestimaverint.



Koehlerus<sup>25)</sup> in opere suo quod inscribitur: „Historicae amoenitates numismatum“ dicit carmina heroica et elegiaca Joannis Dantisci judicio omnium virorum eruditissimorum tam eleganter tamque pure esse scripta, ut tanquam perfectum et omnibus numeris absolutum exemplar ad imitandum proponi possint. Quam sententiam viri doctissimi cum ego considero, nullo modo assentire ei possum. Carmina enim Dantisci haudquaquam tam egregia sunt ut inter optima et pulcherrima numerari possint.

Alter eorum, qui de Dantisco paucis verbis judicium fecerunt, est Petrus Lotichius. Hic J. Dantiscum Polonum et poetam hendecasyllabicum vocans<sup>26)</sup> haec de eo dicit: „J. Dantiscus episc. Varmiensis non solum dignitate sed vera eruditione clarissimus et (quod litteraturae venustioris velut caput) publicatis monumentis poeticis disertissimis vates imprimis illustris, publico musarum bono circa annum Christi 1546 floruit et perennem nominis famam consecutus est. E litteratis viris suo tempore plurimum detulit clarissimo poetae Georgio Sabino, a quo vicissim tanquam praesul et poeta ipse eruditissimus summo honore et amore cultus est. Ex utraque parte carmina alternatim scripta et Hendecasyllabi fuerunt ἀμοιβαῖοι: usque eo, ut tum summam ex illis utrinque animorum benivolentiam tum praeclaram in tanto praesule carminis fundendi facultatem colligere lectori sit peropportunum.“ His verbis totam ille laudem Dantisci complexus est totumque de eo judicium fecit. In his non satis subtilem et acutum criticum Lotichius se praestitit. Laus enim, quam ei tribuit, in carmina heroica et elegos cadere potest, sed minime in hendecasyllabos; in his enim apparet eadem, quae in aliis carminibus facilitas, abest vero elatio orationis. — Tertius quod sciam carminum Dantisci criticus exstitit Chr. A. Klotzius, qui in opere suo „Acta Litteraria<sup>27)</sup> in scripto repetitis breviter iis, quae Boehmius in prooemio de vita Dantisci prodidit, haec addit: „Equidem laetor, virum (sc. Boehmium), quem non contemnendum inter poetas locum tenere novi, aliorum etiam carminibus vulgandis bene de litteris Latinis mereri studuisse, jucundaque delubris munuscula intulisse.“ Ex hoc judicio in universum prolato id tantum manifestum est, Klotzium carmina Dantisci non sine quadam voluptate legisse.

Prodeat denique gravissimus criticus, qui maximam operam in colligendis et recensendis carminibus Dantisci collocavit, Boehmium dico, qui omnia, quae poëta, Dantisci poemata edidit et in praefatione<sup>28)</sup>

hanc sententiam de poësi ejus tulit: „Sua ipsorum pulchritudine satis illustria haudquaquam commendatione nostra indigent. Adeo ille elatus in Heroicis est, in Elegis lenis, acutus in Epigrammatis, in Hymnis plane Prudentium aemulatur, in universum autem ingenii foecundi facilitatem ita secutus est, ut inter severissima negotia saepe luderet verbis, gravissimaque carmina, ut illud in obitum Mercurini Gattinariae etiam inter equitandum componeret. Quo proclivius fuit labi aliquando in levioribus ut in syllabarum mensuris, praesertim ei, qui sententiarum nervos potius, quam orationis phaleras consecraretur. Praeterea si quis cogitat, quot et quantis negotiis distentus fuerit, ne si morosissimo quidem judicio est, verborum incuriam in eo exagitat.“ Recte igitur vindicat ei Boehmius in heroicis ardorem et sublimitatem, recte in elegis lenem vocat. Ad elegos aptissime referri etiam possunt verba C. U. Velii, quae in epistola ad Dantiscum scripta inveniuntur:<sup>29)</sup>

Sed tua praecipue, tua sunt mihi carmina cordi,  
Leniter et puri labentia fluminis instar.

Equidem pauca tantum his addam. Quod ad elegantiam linguae attinet, Dantiscus ornamentorum orationis non studiosus splendorem verborum non sectatur; item exaggeratam et insolentem epithetorum et translationum pompam frustra in ejus carminibus quaesieris. Sermo tamen Dantisci purus et emendatus est neque contra leges linguae latinae peccare videtur. Dicenda mihi etiam essent quaedam cum de verborum conjunctionibus, quibus utitur Dantiscus, tum de metrorum generibus, quae in carminibus suis adhibuit. Subjungere quoque possem magnum numerum variarum lectionum, quas cum ex operibus hist. sec. XVII. et XVIII, tum ex Actis Tom. collegi. Sed cum libellus hic nimis augetur, si hanc materiam tractarem, in aliud tempus differre malui.



## Annotationes.

- 1) legitur quoque in Act. Tomic. Tom. II. pag 30—38.
- 2) *ibid.* pag. 38.
- 3) cf. Wiszniewski Hist. Litt. Pol. t. VI. p. 250. Ossoliński l. l. pag. 65.
- 4) Wiszniewski l. l.
- 5) Wiszniewski *ibid.*
- 6) Janoc. Tom. III. pag. 93.
- 7) cf. edit. Boehmii pag. 298. C. U. Velii Genethl. Jo. Dantisci poetae clarissimi. v. 21.
- 8) cf. edit. Boehm. p. 155.
- 9) cf. Dzieje Literatury w Polsce Ludwika Kondratowicza tom. I. pag. 233.
- 10) v. Simonis Schardii scripta rerum Germanicarum Tom. II. p. 1275.
- 11) Vita Jo. Dantisci in elogiis episcoporum Varmiensium.
- 12) cf. prooemium Boehmii p. 21.
- 13) Grabowski star. hist. pol.
- 14) Ad ingen. adol. v. 290—310; *ibid* 473 sqq.
- 15) *ibid.* v. 1060.
- 16) Jonas propheta v. 47—50.
- 17) ad ingenuum adol. v. 1175.
- 18) cf. hymn. de matre eccl. ad fideles; ad sanctam Trinitatem strophe 3; hymn. ad Christum hora diei prima.
- 19) v. hymn. in hostes gloriosiss. virg. Mariae. str. 5.
- 20) v. Carmen ad pium lectorem v. 42.
- 21) v. Carmen primum „ad lectorem“ inscriptum.
- 22) edit. Boehmii pag. 262.
- 23) v. Odarum Lib. I. carm. IV. et Lib. IV. carm. VII.
- 24) cf. hymn. III. de resurrectione Christi edit. Boehm. pag 268.
- 25) cf. Epithalamium in nuptiis Sig. I. et alia carmina.

26) Koehler. Historische Münzunterhaltungen tom. 22. pag. 192. So rein, fließend und zierlich die lateinischen carmina Joh. Dantisci in genere heroico, elegiaco und phaleūcio nach dem übereinstimmenden Urtheil aller genauen Kenner und Untersucher der poetischen Kunststücke auch immer sein mögen und von ihnen desswegen als unverbesserliche Muster angepriesen werden, so hat doch deren Werth noch nicht verursacht, dass die einzelnen hie und da zerstreuet liegende Stücke... wären in eine ordentliche Sammlung gebracht und zum Druck befördert worden.

27) v. Biblioth. poetica pars IV. pag. 48.

28) Volum. III. pars I. pag. 97. pag. 23.

29) v. edit. Boehmii pag. 304.

---



## VITA.

Leo Czaplicki natus sum in pago Siemowo prope Gostynium oppidum magni ducatus Posnaniensis anno hujus saeculi vicesimo septimo die XI. mensis Aprilis. Patri, quem morte nuper ereptum lugeo, nomen fuit Matthiae, matri qua adhuc viva gaudeo, Victoriae est. Fidem profiteor catholicam. Postquam prima litterarum elementa in ludo ejusdem pagi didici, linguam latinam et germanicam privatim doceri coeptus sum. Tum adii gymnasium Lesnense, quod per octo annos frequentans a societate, quae juventutem magni ducatus Posnaniensis litteris operam navantem adjuvat, sublevatus sum. Eadem societas per quattuor annos studiorum meorum in hac universitate beneficia sua benignissime in me conferebat. Anno 1851 mense Aprili testimonio maturitatis instructus, mense Majo Vratislaviam me contuli et in numerum civium universitatis receptus nomen apud Ill. Kummer ordinis philosophorum t. t. prodecanum professus sum. Per octo semestria interfui scholis philologicis, philosophis, historicis a VV. Ill. Schneider, Haase, Ambrosch, Elvenich, Braniss, Wagner, Roepell, Kahlert, Suckow, Krański, Cornelius, Rückert, Bernays habitis. Initio sexti semestris inter sodales seminarii regii, quod auspiciis VV. Ill. C. E. Chr. Schneider et Fr. Haase adhuc floret, receptus per tria semestria exercitationum particeps fui. Quibus omnibus VV. Ill. praecipue autem Proff. Haase et Roepell, qui me in hoc libello scribendo aliquot libris adjuvarunt, gratiam habeo maximam semperque gratissimo animo nomen eorum proseguar. —

## THESSES.

1. Genii Romanorum non plane iidem sunt ac daemones Graecorum.

2. Suffragium testarum sapienter ab Atheniensibus institutum esse contendo.

3. Verba Tecmessae in Soph. Ajace v. 343.


κακὰ δεινάων ῥήμαθ', ἃ δαίμων  
κούδεις ἀνδρῶν ἐδίδαξεν.

non recte Hermannus interpretatus est.

4. In Tusc. Disp. IV, 31, 66 ita legendum esse censeo: et ut nimis adflucti molestia molles, sic nimis elati laetitia jure judicantur leves.

---

INSTYTUT  
BADAŃ LITERACKICH PAN  
BIBLIOTEKA



00 330 Warszawa, ul. Nowy Świat 72  
Tel. 26-68-63

<http://rcin.org.pl>











F

6959